REX REDUX,

Sive

Musa Cantabrigiensis

voti damnas

De incolumitate & felici

reditu Regis

CAROLI

post receptam Coronam, Comitiáq; peracta

in

SCOTIA.

¶ Ex Academiæ *Cantabrigiensis* Typographeo,

Ann. Dom. MDCXXXIII.

ML116.33.5*

HARVARD COLLEGE
NOV 6 1920
LIBRARY

J. J. Lowell fund

In diem auſpicatiſsimum
inaugurationis in Regnum Scoticum.
Ογδοάπχοι *gratulatorium.*

SAlve feſte Dies niveo ſignande lapillo,
Scotia quo primùm geminum diadema gerentem
Conſpicit Auguſtum Carolum, qui primus ab ævo
Anglorum Reges inter, tua, Scotia, ſceptra
Suſcipit, hánceque novam geſtit geſtare coronam.
Hunc Deus eximium Carolo ſervavit honorem.
Macte redux titulíſque novis, duplicíque coronâ.
Det Deus hiſce frui placidè per ſecula ſera.

S. W. C. Sidn. Præfectus.

Gratulatorium de reditu Sereniſſ. Regis
CAROLI
è Scotia in Angliam. Menſe Jul. 1633.

CAROLE, quo Seſtam non gratior advena turrem
Scandit, odoratos udus, ut imbre, ſinus,
Cui non contuleris reducem, poſt Pergama, póſtque
Neritium, pelagi tanta pericla, ducem,
Poſt Phaëtonteos qui nobis ille quod ignes
Dulcior ex longo, Sol, ſoliúmque tenens,
Quæ tibi votivâ pangemus carmina Musâ?
Quæ ſatis auratis dona nitere tholis?

Anglia jam verè redit Angela, jam Scotia eſt quod
Nomen habet; contrà nuper utrinque fuit.
Abſit pigra quies, & longùm Phœbe recurſes,
Rarior aſt Tropicos egrediare tuos.

S. Collins Regalis Collegij Præpoſ.
& ſacræ Theolog. Profeſſ. Regius.

Eodem Argumento.

NOn auri nec Iaſpidum *Coronam*
Poſthac CAROLE quæſo gratiorem
Ullam duxeris, ut migrator abſis,
(Hanc cauſam tibi nam ferunt fuiſſe
Viſendi modò regna tam remota,
Ipſo condita penè ſub polari,
Ut lætus diadema cingerere:)
Quàm quæ te implicitat, tuámque menſam,
Mox menſam, interea ſinum, *coronat*,
Natorum, piget, & parùm eſt, duorum,
Malo dicere nam trium, *coronam*,
Malo dicere, fas vovere, centum.

Idem.

In rhedam Regiam.

PEgaſus, & toto cedant mihi Gnoſſia cœlo
Sydera, Mænaliæ longiùs ite feræ.
Tu quoque vocali cedas ratis enthea ligno,
Aurifero ſpolium quæ rapis una gregi.

Mille

Mille polo nugæ: currus per ſecla ſacrari,
Qui *CAROLUM* vexit, dignior ille fuit.

Idem.

In Rhedarium.

TU quoque qui rex'ti, nec te tua præmia fallent,
Unice felicis temporis Automedon.
Stragibus Automedon ſævíſque erat utilis armis:
Depoſitum mundi páxque ſalúſque tuum eſt.

Idem.

Gemina Aſtronomis eſt Corona in cœlo: una Borealior, juxta Booten;

In Xynorida.

ULtima criſtati ſuccedunt cura jugales,
Pro fœno ambroſiam carpere digna cohors.
Carpite; conſueti valeant faſtidia ſucci,
De Ganymedea ſumite vina manu.
Hîc, illîc, toto vetitum nil credite Olympo,
Quid doleas video, Cyllare; ſed meritum eſt.

Idem.

Altera Auſtralior, juxta Sagittarium.

Adhuc in Circumpedes, vel & unum eximium.

LAdam, Perſea, Maïâque natum
Cœlum audivimus ire per profundum,
Immenſos ſpatio brevi ſecantes
Tractus æquoris, ætheris meatus,
Miris nixibus, artibúſque miris.

Nec te Dædale, nec Corinthiorum
Reginæ volucres fugâ Dracones,
Nec cervam æripedem, nec aut ſatorem
Ignorat ſegetum poëta primum
Curru Triptolemum levi volantem,
Aut quicunque alii: ſed ante cunctos
Sis poſthac mihi, ſitis an, rotarum
Aſſeclæ pia turba Regiarum;
Vel tu gnavior une cæterorum,
Tu velocior expeditiórque,
Tu ſervantior, imminentiórque,
Qui ſemper lateri propinquus hæres,
Qui nunquam Domino deeſſe cuſtos,
Qui mundi caput & meum tuúmque,
Qui noſtrûm caput omnium ſequace
Vix æquans oculo, tuere planta;
Exemplum grave diligentiarum;
Exemplum fidei perenne ſeclis;
Non ſoccis mediocribus meíſque,
Smyrnæo celebrande ſed cothurno.

Idem.

De ſerena, & pluvia, in abſentia Regis tempeſtate.

ET mirum eſt; —Rerum hæc facies *Oracula* dictat:
Multus in his vicibus curáque, amórque Deûm.
Multus in hoc vario Jove, ſudo multus, & udo:
Fatidicus ſermo hic Solis, & imbris erit.
Qui vehitis Regem ſonipes, quæq; ungula, Mens eſt
Provida vel veſtro de pede Cœlitibus.

Vult

Vult *Superûm Major ſuperos* calcare *Minores*
Et facilem glebam, & molliùs ire viam:
Molliùs ire viam, cœlóque favente: viator
Suſque hic Numen habet *Deque* ſalutiferum.

Eſt aliqua in noſtris Tempeſtas mentibus: illîc
Nunc candeſcit, erat luridus antè dies.
Et minor, & major mundus dant omnia Divûm
Impenſis: Hæc ſunt Cæſaris, illa Dei.

De inauguratione Regis in Scotia.

QUà Cynoſura plagam gelidis diſterminat oris,
Atq; Helice,& Plauſtro vigilans,fixúſq; Bootes,
Illîc *Gnoßia ſerta* fluunt, cœlúmq; coronant,
Sydereúmq; regunt Populum.

Gemina Aſtronomis eſt Corona in cœlo: una Borealior, juxta Booten;

Quà nunquam laxo Telum protenditur Arcu
Semiviri Bovis, & fumant Altaria thure
Relligioſum Auſtri ſydus, ſtant altera Serta, &
Regia ſtella præeſt orbi.

Altera Auſtralior, juxta Sagittarium.

Sic eſt, ſic equidem. Terra eſt contermina cœlo:
Státq; Parallelis paribus, paribúſque Coronis,
Utraque Zona ſuis: Auſtralibus iſta notatur,
Illa Caledoniis: Regem ſenſiſtis utræque,
Et Cæſar tua tempora.

Sic eſt, ſic equidem. Terra eſt contermina Cœlo: (&
Id Tu, Carole, agis: Fruitur Scoti-Anglia dum Te,
Fronte Tuâ pluſquam bina ad Diademata natâ,
Diſcrimen Superûm neſcimus, & Inferûm; habe-
Hîcq; Jovem, & felix Cœlum. (mus

Cecinit G. Beale, Coll. Jeſ. Cuſtos.

ERgò Caledoniis reducem Te cernimus oris
Rex dubium eſt Divis charior an Populis?
Ubera natalis liquiſtín' dulcia terræ,
Inque ſinus noſtros, Carole Magne, redis?
Si quàm gratus ades cupias cognoſcere; non hæc
Feſtinata nimis carmina, corda legas.
Hæc Te dum properas properantia tota ſequuntur:
Corda ſimul nobis dúmq; aberas aberant.
Anglica Scotorum in terras gens tota profecta eſt;
Et minus incluſit grandius Imperium:
Tu rediens nobis nos reddis: Noſque viciſſim
Quæ reddis nobis hæc Tibi corda damus.

Rich. Love, Præfect. Coll. C.C.

PHœbus ut *Arctoum* propior delibat *Acanthum*,
Angliacæ periit gratia quanta *Roſæ*!
Læta ſed antiquos tandem transfundit odores;
Debet & hoc reduci CAROLO Phœbe *Tibi*.
Spargite devotos remeanti ſpargite flores
Chamiadæ; plenos excute Granta ſinus:
Nec pudeat ſacris intexere ſerta *Coronis*,
Aut hederâ *Auguſtas* impediiſſe *Comas*.

Thom. Goad è Coll. Regis.

QUaliter apparens poſt turbida nubila Phœbus
Gratius in terras fundit ab axe jubar:
Atque ut temperies veris poſt frigora brumæ
Gratior eſt, quàm ſi nulla fuiſſet hyems:

Atque

Atque ut vitâ viro, cui languens ſpiritus olim
Deliquium paſſus, charior eſſe ſolet:
Póſtque vices noctis jucundior indè refulgens
Lucifer Eoo ſpargit ab orbe diem:
Utque ſopor feſſis, libertas vincula paſſis,
Et morbum expertis ſit magè grata ſalus:
Haud aliter Carolus, qui ſol, ver, vita, quieſque,
Lux, & libertas, ſoláque noſtra ſalus;
Haud ſecus ille ſuis (erat & gratiſſimus antè)
Gratior Angligenis, quàm fuit antè, redit.

Henricus Newton, Baronettus,
Colleg. Trinitatis.

In deſideratiſſimum Sereniſſ. Regis CAROLI

è Scotiâ ad ſuos Anglos reditum.

MIrabar mœſtum cœlum, pluviáſque frequentes,
Inſolitos flatus, tempeſtatéſque ſonoras:
Non ſoles nitidos, non lucida ſydera vidi,
Non vernos, terræ dulciſſima pignora, fructus.
Scilicet, ô Regum cœlo chariſſime, noſter
Sol aberas, nobis aberas tu ſtella benigna.
Te circumvolitant terræ, te veris honores,
Néve alio gaudet Titan fulgere theatro,
Quàm Tua Majeſtas ubi ſeſe erexit, & ora
Oſtendit Scoto, longè divina, ſtupenti.
Te verò redeunte (Anglo, Rex Summe, vovente
Pro reditu ter mille boves, holocauſta Tonanti)
Mutatur cœli facies, innubilus aër,

Æolus ingenti Boream concludit & antro,
Et Phœbo volupe est, radios emittere lætos,
Et claros donare dies, noctésque serenas,
Et multùm optatos terræ producere fructus.
Hoc Tua Majestas sic præsentissima præstat:
Vive ergò dilecte Deo, Musásque trementes
Aspice, quo vultu solitus spectare vel aulâ
Ludentes parvum CAROLUM, parvámque MARIAM.

Cuth. Pearson S. Theolog.
Baccal. Regalis.

HEmisphæria sole bina mundi
Britanni peragrante, eum vicissim
Mutatis rationibus sequuntur
Anni tempora, cardinésque cœli.
Australis plaga passa nunc Borêum
Est frigus: posuêre nunc triones
Septem congenitam ferocitatem.
Scotus nec σκότος est, fugante nubes
Illustri CAROLO tenebricosas.
Edinburgus erat, creante Rege,
Londinum, Paradisus, Eden hortus.
Hinc hinc curritur, & negotiosis
Cunctis fervet opus labore grato:
Quò possint Carolo placere, certant
Omnes undique mirâ alacritate.
At nos, lumine deserente, mœsti,
Ægypti tenebris & obvoluti,
Oh quàm sedimus otiosa turba,
Dum vix quisque ferat suum cadaver!

Tandem

Tandem cùm repetis benignus Auſtrum,
(Oh!) ſuccumbimus, imparéſque luci
Caligant oculi; nec irruentis
Fulgoris ſumus impetum ferendo.
Hinc prono ſibi gratulantur ore
Phœbi de reditu, optimi Patroni
Muſarum, ſibi reſtitutæ Athenæ.
Adſis propitius, ſed abs Eclipſi
Occaſúque, Deo beante, tutus.
O nos Solſtitio tuo beati!

M. Honywood, è Coll. Chriſt.

In reditum CAROLI.

ANgle, Caledoniis quòd jam ſit Cæſar in oris,
An minùs indè tuis rebus adeſſe putas?
Falleris, & neſcis quæ ſit natura deorum,
Qui disjuncta licèt vi propiore fovent.
Quid fruſtrà precibus cœlúmque, ſolúmque fatigas?
Quem petis, hîc tecum, nè vereare, manet.
Obſcuros nimiùm divûm de numine ſenſus,
Quóſque adeò de te vix patereris, habes.
Undique ſecuro ſanctis ſub legibus ævum
Tranſit, & æternâ vivere pace licet.
Non ferus hoſtis adeſt, non turbant claſſica ſomnos,
Nec mala terra tibi eſt, clauſa nec unda maris.
Quòd redeas, noſtris nil præſtas, Carole, rebus:
Stultitiæ hoc noſtræ te tribuiſſe juvat.
Scilicet illa tui non ultima gloria regni eſt,
Quòd non ſollicitos mente vel eſſe ſinas.

Aliter.

ISacidûm populus vitulo ſtupet impius aureo,
Nè non præſentem poſſit habere Deum.
CAROLE, ſis licèt uſquè benigno numine præſens,
Eſt aliquid vultus cernere poſſe tuos.
Gens ſumus indocilis, nimiúmque incredula veri,
Inque oculis omnis ſtátque, cadítque fides.
Fortè aberas; Quis nos regat hîc, dubitamus inertes:
Adſis; Non alium credimus eſſe Jovem.

J. Staninough, Coll. Regin. S.

ANglia quàm lætâ reducem te voce ſalutet,
Quámque hilari aſpiciat, CAROLE, fronte, vides.
Nec tamen, Heſperias rurſus delatus in oras,
Fregiſti longâ tam pia vota morâ.
Non tua ab extremis redeunt veſtigia terris,
Nec formidato ſerus ab hoſte venis.
Quos tibi debuerat, meritos indulſit honores
Scotia, pars regni non benè ſecta tui.
Illi viſa brevis, nobis mora longa videtur:
Menſis hic unus erat; menſis hic annus erat.
Parce tuis: in te pietas quæ nulla futura eſt,
Crediderim hâc veteres vix coluiſſe deos.
Vix iter ingreſſus; Jam tum voluêre reverti:
Et ſedes viſa eſt terra movere ſuas.
Tam charo capite haud poterat caruiſſe vel unum,
Et deſiderium flebile ferre, diem.
Ex te judicium noſtrî feciſſe placebit?
Non te cura minor, non minor urget amor.
Senſiſti ut noſtro tam dignos pectore motus,
En feſtinato ſponte recurris equo.

Idem. Heu

HEu qualis gemitus! querela qualis
Anglorum fuit, ut tibi (relictis
Nobis) Scotiacam videre gentem
Ardor contigit, & viam vorare!
Sed cùm jam reduces volare currus
Fama eſt, par animos tenet voluptas.
Auroræ magis haud viator ortu
Gaudet, nec pelago ſilente nauta,
Quàm nos ad ſolitas redire ſedes
Ipſam nunc animam Britanniarum.

Joan. Murray, Coll. Regal. Generoſus.

DUm properas (REX MAGNE) tuos inviſere Scotos,
Arváque natalis grata beare ſoli:
Intumuit crebrâ lacrymarum aſpergine Chamus,
Nec ripæ effuſas obice claufit aquas.
At citò detumuit (tanti eſt præſentia Regis)
Et redit in ripas (Te redeunte) ſuas.

Guil. Murray, Coll. Regal. Generoſus.

ITur ad Hiſpanos: ſed non præſentia tanti
Grata erat Hiſpanis hoſpitis. Ergò redis.
Ad Scotos placet ire. En ardet Scotia; Regem
Deperit, & ſecum jam retinere ſtudet.
Non paradoxon, Amor calidis frigeſcit in oris,
In gelidis fervet. Ferveat, Ipſe redi
Ad notos Anglos. Veteres an linquis amores
Æquè ferventes? Hîcque Maria tua eſt.

Ut perit hæc reditum! ſuſpirat ut Anglia tota!
Atqui erit æternus tam violentus amor.

Boteler.

NUper Hyperboreas peteret cùm Carolus oras,
Regna ſuis cunis, vagitúque inclyta primo;
Certavit gens tota deûm quis vincere poſſet
Officio, & noſtro potiori munere regi
Serviret, patrias hoſpes dum tendit ad oras.
Jupiter è toto diſcuſſit nubila cœlo,
Et juga cæruleo patefecit celſa ſereno:
Purior intonſo radiabat vertice Phœbus,
Et placidas mitis Pyroeis concuſſit habenas.
Æolus inſanos compreſſit carcere fratres:
Solus odoratis Zephyrus clementior alis
Luſit; & in pratis Zephyri pulcherrima conjux
Explicuit varios genialis ruris honores,
Ut poſſet captis blandiri regis ocellis,
Et ſuadere roſas legeret, laſcivior ille
Nunc ſeſe inſinuat per mollia tela comarum,
Nunc leni roſeos caſtigat flamine vultus.
Nec dedignatus divâ cum matre Cupido
Officium præſtare ſuum eſt: pedes ille ſedentis
Duxit equum regis, tractans ſpumantia fræna;
Illa viam Paphii diſperſit floribus horti,
Ambroſióque vagas auras infecit odore.
Nullus erat divûm divini parcus honoris.
Concipit interea tacito pia vota timore
Vulgus, & abſentem dolet Anglia triſtis alumnum:
Spe tamen ingenti ſtimulos luctúſque metúſque

Tempe-

Temperat, & reditum expectat, dum pignora ſervat.
Tædia ſic paſſa eſt tardè remeantis Ulyſſis
Dum reliquos natos fidiſſima conſpicit uxor.
Sed pater æthereo queſtus miſeratus ab axe
Communes, monitu regis properare morantis
Juſſit Atlantiadem reditum. Fugit ille per auras
Et patris mandata refert. Rex protinus ipſe
Amplexus medios rumpit, poſtremáque mœſtæ
Oſcula dat patriæ, & retrò ſtipatur eâdem
Pompâ, cœlicolûm turbâ famulante deorum.
Ah quoties lentis remorari vellet in ulnis
Scotia cedentem! quantus ſtillabat ocellis
A geminis imber! Talis Sidonia virgo,
Cùm Phrygiam in regno voluit tenuiſſe carinam.
Flaventes lacerâſſe ferunt crinéſque genáſque
Indigenas Tuedæ Nymphas, & fletibus undas
Manâſſe, & raucis littus ſonuiſſe querelis.
Anglia tum primùm pereuntis tædia cœpit
Dinumerare viæ, tardatáque ſumere ſenſim
Gaudia; mox dubias deterſit pectore curas:
Tòtus enim venit, radióſque effudit ab ore
Purpureos, ægræ diſpellens nubila mentis,
Ac expectando marcentia pectora mulcens.
Talis ad Arctoum Titan redit aureus orbem
Poſt ferrugineam brumam, longáſque tenebras:
Talis & inſano venit Heſperus almus amanti.
Sed neque ad Arctoum ſol gratior emicat orbem,
Nec magis optatus venit Heſperus almus amanti.
Jam poſcunt ſacris redolentes ignibus aras
Pro votis, divi emeriti, lætáſque Sabæo
Emiſſas fumo grates, hæc præmia poſcunt,
Gaudia qui nobis tanto cum fœnore reddunt.

H. King.

Avita,

AVita Carolus regna dum visit Pater,
Gentíque sacrum dat Caledoniæ jubar,
Nos, quibus opacæ tantula est noctis mora,
Jam longiori nocte contenti sumus,
Non invidentes Scotiæ tantam diem:
Sic nostra poscunt fœdera, & junctæ manus,
Sic illa vult beata sceptrorum unio.
Princeps, ut anima est; quæ nisi totam regat
Agitétque præsens molem, & artus permeet
Diffusa cunctos, orba membra corruunt:
Non ergò regno Scotiæ, Regis avido,
Neganda non est justa vitæ portio;
Vitalis illa plus caloris exigit,
Quò propiùs horret frigore minacis poli.
Nos quoque superbos, qui triumphamus modó,
Stillante lacrymis nube texissèt dolor,
Regina, nisi nos vultus animâsset tuus,
Et regiorum dulce par infantium.
Carolum videre Scotiæ liceat suum,
Dum nos fruamur: illa venienti dedit
Regni coronam, nos reverso Carolo
Hilares dicamus hanc coronam gaudii,
Quam texuêre floribus Musæ suis.

E. King, Coll. Christi S.

STupor videre, fas sit eloqui tamen,
Ut exulante Rege nuper optimo,
Vel annus ipse fugerit retrò viâ,
Suíve terra claudicârit impotens,
Minata nil ut antè fructuum dare.

Nec

Nec imber ullus, & retorrida omnia,
Aquæque tanta mox repentè copia,
Ut interiret irritus boum labor,
Vetúsque penè *Pyrrha* luxerit malum.
Resedit imber, ingruit calor novus,
Genas hiulca pandit aridas parens,
Queri viator ut furente Sirio,
Feræ latibla quærere ac domos, truces.
Diúque vix vocatæ adesse guttulæ,
Refrigerata quas bibant agris sola.
Fugam sed ista consecuta regiam,
Redux reducit expetenda singula,
Olusela, fraga, coctona, & nuces, rosas,
Suúmque vitis osculata *Liberum*,
Suúmque *Pana* pinus, & pecus *Palem*,
Suóque læta messis occinit *Deo*,
Et ipse mundus ingredi vice ac viâ.

Thomas Dee, Regalis.

QUem *dederas* olim, nunc *reddis*, Scotia, Regem:
Hinc merita *laudem* es, indè adepta *gloriam*.
Quæ major potuit contingere *gloria*, quàm quòd
Talem potueris Angliæ Regem *dare*?
Et, quem credidimus, quòd salvum *reddere* curas;
Laudamus ut functam probè officio tuo.
Dando, fidem nunquam rumpendo fœdere nostram
Obstrinxeras; *reddendo*, liberas tuam.
Sic semper *reddas*, iterum te sic *dare* nunquam
Contingat: æviterna sit stirps CAROLI.

R. Sterne. C. C. C.

Ad Scotiam in discessum Regis.

ESt vidisse satis, Carolo prostrâsse, tulisse
Vota: Quid illacrymas, si tibi terga dedit?
Tu Cretæ similis, cui præscia fata dederunt
In cunis tantùm posse tenere Jovem.

Ed. Hawtrey, Coll. Regal. Socius, Art. Mag.

QUin tandem, Rex alme, redi; petit Anglia supplex:
Sollicitè petit hoc, si sapiat, Scotia.
Utraque gens vario torpescit languida morbo:
Utraque at haud varium vergit ad interitum.
Hujus enim insolitæ consumunt pectora flammæ,
Æstúque incendunt gaudia rara novo.
Hanc, Rex alme, tuo perfundis lumine: & hinc est
Pectora quòd caleant frigidiora gelu.
Interea tamen illa riget confecta dolore,
Et tantùm non est exanimata metu:
Si modò destituas divini, Carole, vultûs
Nos radiis, miseros illico torpor habet.
Adsis, Anglorum stupefactáque corda resolvas,
Cedat ut hic gelidus, te redeunte, dolor.
Adsis, nec Scotiæ venientem vota morentur:
Nè propriis votis occidat illa, cave.
Te retinere cupit? Certè est lethale quod optat:
Oh! fuge, & optantem nè patiare mori.
Eripias morti placidæ licèt: obruet ingens
Lætitiæ totos exuperantis onus.
Sic patriæ pater evades, si vivere cogas,
Dulcia queis fecit spicula mortis amor.

Gilb. Wigmore, Coll. Regin. Socius, Art. Mag.

QUale, ubi fluminatus, nigrum post Memnonis, ortum
Cæruleo nitidum promit ab axe diem,
Splendidior nostris est affulsurus ocellis
Dulcius & læto prominet ore jubar.
Sic, ubi post aliquos (fatem ut fallimur) annos,
Sola Britannisæ gloria gentis ades,
Purior assurgis, roseique simillime Phœbi,
Exeris immersum, Carole, nocte diem.
Hoc tua testatur conjux divina Mariæ,
Hoc procerum, & populi lætâ corona tui.
Hinc illo (memini) fervent vaga compita plausu,
Hinc reboant valles, lætáque saxa sonant.
Jam teneat te terra precor, Sol noster, in ævo
Nec bis Eclipsin nos patiare pati.

Jo. Villiers, Coll. Trin. Generosus.

In Regem, ad hos è Scotia reditum.

QUàm Carolum populúmque inter contentio pulchra
Hic regem, populum dum regis ille suum!
Hic regem votis, populi præcurrere votis
Nititur ille, citis dum volat altus equis:
Sed tibi Triptolemi sit, Princeps maxime, currus;
Alipedémque habeas Mercurii [illegible] equum;
Sint tibi Mercurii [illegible]
Non potis es populi vincere vota tui.

D. Trott, Coll. Trin.

Sereniss. CAROLI Regis exoptatissimus reditus, Scotiæ luctus, Angliæ gaudium.

Scotia. NOmen infelix, tenebris opertum,
Rebus his aptum satis est, nimisq;
Convenit sorti, Angliacis daturum
Carmina Musis.

Hoc dabit nostro cumulum dolori,
Quòd σκόνος quisquis didicit misellus,
In suos coget numeros, meásque
Ludet in umbras.

Albion felix nimiùm videtur
Ὄλβιον· Sed quid malè comparando
Augeo luctum? Bona non docebo
Te, Soror, ista.

Non enim nescis tua fata, testor
Quod suprà metris etymon locavi;
Testor autorem, tua qui replevit
Lexica, Graium.

Anglia. Desinas luctus precor; ista dicas
Parcius. Quò te dolor? hæc refertur
(Muneris non es memor) hæc remisso
Gratia Rege?

Legimus Solem Superis minatum
Se suos lucis radios daturum
Inferis. Quo tum regio micabat
Atra tumultu!

Hom. Odyss. μ'. Δύσομαι εἰς Ἀΐδαο καὶ ἐν νεκύεσσι φαείνω

Nullus

Nullus urebat dolor, at redibat
Phœbus ad mentem: magis hoc gravabat,
Torsit hoc gentes gravius sepultas
Judicis irâ.

Pectus hæc ardens, brevis hæc voluptas
Guttulâ sparsit tibi: sensus indè
Tristior noctis, modò te reliquit,
Scotia, lumen.

Nostra commendat tamen hic recessus
Gaudia; hoc nobis sapiunt aceto:
Albion felix, nimium recepto
Cæsare felix.

Georg. Villiers, Trin. Coll. Generosus.

SOl noster Tropicos polos utrosque,
Australem semel, alterumque nuper
Lustravit: tenuit diúque neuter.
Nam quis tunc reditum parare Solem
Non novit, nisi qui rotare sese
Ultra circulum ait suum, scopúmque?
Cancer digne locum tenere cœlis,
Qui Solem doceas gradum retrorsum!
Quare jam redeas precor: calore
Fac vivos iterum, ferè enecatos
Tantâ luminis hâc negatione.
Nec posthac alias videndo terras
Nobis Solstitium nega perenne.

Fr. Heath, C.C.C. Art. Mag.

IO ſalus! nec id ſemel ſonabimus:
Io ſalus! Ioque rurſus intonet.
Ut inſolentiore pectus intumet
Calore; gaudióque non levi furit
Metu ſoluta mens graviſſimo! Evias
Mea eſt Camœna; non Camœna, ut olim erat.
Liquore ſimplici in adere reſpuit:
Sitit Falerna, Chia, Mäſſica; & negat
Calere juſtiore poſſe ſe mero:
Furens bumûmque more pulſat Edonum.
Querente me & petente, Muſa quid furis?
Agit phreneſis inſciam te amabilis.
Hoc unicum refert; Io ſalus! *Mea eſt*
Salus (Io Triumphe!) *ſalva, Carolus.*

Monere pergo. Te ad teipſam & obſecro
Redire, & urgeo. Refert; Parùm intereſt
Meâ; mihi ſat eſt, *Redire Carolum.*
Adeſſe quis ſibi, ſi abeſſe Carolum,
Adeſſe quis poteſt, ſi adeſſe Carolum
Sciat? Metu ille fractus, ille Gaudio.

Aliter.

ECquid Hyperboreis rediiſti, Carole, ab oris,
Támque brevi es longum tempore menſus iter?
Credo volens: Seu Fama ſuas Tibi commodet alas,
Sive ſuum Muſæ, ſeu Tibi Caſtor equum.
Forſan & Auguſtas populi pervênit ad aures
Clamor, dum aſſiduo rumpitur æthra *Redi.*
Dum Tu ſollicitis properas ad vota popelli,
Feſtinat populus fundere vota Tibi.
Tam ferus redeas in cœlum, quàm citus ad nos
Veniſti: invitem ſi nova ſceptra, nega.

Ad

Ad Regem, Hendecasyllabon.

MUltis nominibus Deo Tibíque
Devincti Angliaci sumus, fatemur.
Quis dicat quoties datus? (quasi esset
Donum Carolus optimum unicúmque)
Quàm multísque locis receptus? ô quàm
Multorúmque loco recaptus unus?

Tu Henricíque loco, loco & Jacobi,
Tu fratrísque loco, locóque patris,
Tu matrísque loco, loco & sororis,
Túque ex Hesperia periculosa,
Tu è morbo, (juvat, & dolet referre)
Tu Caledoniis receptus oris.

TE, per quem toties *receptus*, oro,
Et per quem cano *Carolum receptum*,
Dii aut nunquam canat is Receptui. O quàm
Est durum Carolo carere! * *Carus*
Æquè est Ille retentus, ac receptus.

B. Oley, Præses Aulæ Clarensis.

* CARUS
Lat. carus sed

Εἰς τὸν ἀποδημίαν καὶ ἐπάνοδον τοῦ ἐυδοξοτάτου
βασιλέως Καρόλου.

Ἥλιος, ψυχή τις, μοναρχος τῶ μὲν ἀπείρων
Δοιαὶ ἁμᾶ ἐκχέοντες, φάεσς ἐπὶ βίον.
Παιχιλία ἐμπίπλησι, λειποψυχία ἴσα σιγάων,
Πᾶν ἀπόλωλε φάος, Καρόλου ὡς ἀπίβη.
Ἀλλ' ὁ μὲν ἡμετέροις γλυκερὸν φάος ὀφθαλμοῖσιν
Ἐς Σκυθίης ἐδάη, ἦ δ' ἀνέλαμψε πάλιν.
Κεῖτ' ἀναρρήκτοις, καὶ πανδαὶ Ἀγγλίδες ἄλσε,
Πᾶν ἔλιπε ψυχή, Καρόλου ὡς ἀπίβη.
Πρευὶ δ' ἐς Βορέαο χιόνες κεκρυόεντα δυσμὰς
Ζεύγνυσ' ἀπειρεσίους, ἦ δ' ἀνέπνευσε πάλιν.

Ἰδεὼν ὁ Διόσπολος ἐν τῷ συνοδείᾳ τῆς πατρίδος Τειδίος.

In profectionem Serenissimi Regis Caroli, *æstivo tempore susceptam, & transactam.*

ASpicis ut vacuo se librat in aëre pulvis,
Attollítque globos terræ, & nunc nubila tranat,
Nunc spissum agglomerat nimbum, celerique rotatu
Volvitur in gyros? En! terra tripudiat ipsa
Regis in occursûs, & ducit gleba choreas.
Ipsa adeò tellus exultat, & Anglia mater
Gestit ovans, vetulis Carolum dum amplectitur ulnis.

Aspicis ut tellus æstu sulcata dehiscit,
Finditur in rimas, & hiantia viscera pandit?
Regis in occursûs (en!) Anglica terra patescit,
Dilatátq; sinum, & gremio se effundit aperto,
Vel penitùs totis Carolum exceptura medullis.

Aspicis ut pulvis lascivus in oscula Regis
Assurgit, nitidósque oculos contingere gaudet
Audaci insultu petulans, simul impetit ora?
Regis in amplexûs (en!) irruit Anglica tellus,
Luminibúsque inhians pendet venientis ab ore,
Optatósque diu gestit citò cernere vultus.

Aspicis ut rigidam torret sitis aspera glebam,
Squalidus & campos amburit Cancer hiulcos?
En! Caroli reditum sitit Anglia. Cernis ut æstu
Aret ager? Caroli, dic, Anglia fervet amore.

Aspicis, ut lætæ segetes, atque arva renident,
Luxuriant valles, ridéntq; virentia prata?
Ecce! sub adventum Caroli, dum læta triumphat
Albion, à vultu nomen sortita sereno,
Induit hanc faciem, Reducémque hac fronte salutat.

Jacob. Duport, Coll. Trin. Socius, Art. Mag.

Querela

Querela de Regis morâ.

AH nimiùm detente diu, dulcissime regum!
Ah nimium seró, num redituræ tuis?
Ergò Caledoniis nunquam remeabis ab oris?
Nectere perpetuas sic juvat usque moras?
Henricam Carolo, Carolum patre, rege vel Anglos
Támne diu credis posse carere suo?
Carole, quid mantas? Tua te vocat (ecce!) Maria,
Et queritur tardos ire relicta dies:
Quando erit ut videam tua dulcia lumina, Car'le?
Quando erit illa dies? Me mora fecit anum.
Penelope lentum sic objurgavit Ulyssem,
Cùm tereret viduas pendula tela manus.
Jam quoque Carolides, ludit qui parvulus aulâ,
Iratus pappam clamat ubique suum;
Vestigátque manu, circum & rimatur ocellis,
Impatiénsque moræ fletibus ora rigat.
Et cunctaris adhuc? Quin cernis ut Anglia, Cæsar,
Omnis in amplexus est ruitura tuos?
Ex quo te postrema suis gestavit in ulnis,
Dinumerat Pylii sæcula longa senis.
Nox tamen una fuit tantùm, Te Sole remoto:
Esse potest nobis Te sine nulla dies.
Dum Solem expetimus, facit expectatio canos:
O nox quàm longa es, quæ facis una senes!

Idem.

Anglia.

Anglia, Scotia, Moderator. Dialogus.

Angl. DEpositum (nunquámne? fides hæc pacta?) remitte,
Redde mihi Carolum, Scotia, redde meum.
Scot. Quin manta paulúm, soror Anglia, siste querelas:
Nè vel tantillùm fas mihi Rege frui?
Angl. Omnis in æternum cruciat mora. Quando redibit?
Scot. Quàm vereor nè vel cras meditetur iter!
Angl. Cras te missuram, cras, dicis, Scotia, semper:
Dic mihi, Cras istud, Scotia, quando venit?
Scot. Vix, puto, curta semel reparavit cornua Luna,
Ex quo Scotigenûm Carolus hospes erat.
Angl. Me vixisse puto Priami vel Nestoris annos,
Ex quo Tuesiacum transiit ille vadum.
Scot. Sum Caroli natale solum: valedicere Scotis
Hunc sperare potes tam citò velle suis?
Angl. Ah quoties voluit! sed tu remoraris euntem,
(Heu!) nimis in luctus officiosa meos.
Scot. Antè dedi cunas; eadem nunc addo coronam.
Angl. Ille meum caput est, cui diadema datur.
Scot. Unio regnorum, Carolus; nos, annulus idem:
Angl. Unio hic in pala splendeat usque sua.
Moder. Rex vobis anima est, totúsque in corpore toto:
Incassum lites cor cerebrúmque movent.

Idem.

CAROLE, in optatam, cui redditus ipse, salutem
Lusimus: optatum ludimus in reditum.
Vox diversè una est; loquitur *Salve* utraque: nuper
Te tibi, te nobis jam reducem canimus.

Rob. Waideſonus Generoſus, Coll. D. Joan.

Exis

QUid viſum? quò Rex abiit? Clariſſimus ille
Dum ſol adfuerat, Scotia nulla fuit.
In tota certé, quæ dicitur, optime Regum
Carole, dum abfueras, Anglia nulla fuit.
Ergò redis genti Rex opportunus utrique:
Illa ſuum reperit nomen, & illa ſuum.

T. H. C. Trin. Art. Mag.

NEmpe Caledoniis ad nos converſus ab oris
Carolus, Ingenii flumina quanta ciet!
Flevimus abſentem: ſed carmina nulla ſonabant,
Singultu triſtes impediente Deas.
Jam tandem erumpunt: video quæ, Carole, cauſa;
Flumina paſcenti non ſine fonte fluunt.

Carmen Hendecaſyllabum.

MAter Scotia Bellicoſa Regum,
Nolito tamen invidere vultus
Aureos iterum Ducis Sorori:
Non opes cupit illa, queis ſuperbit
Indus, ſed reditus ſibi beatos
Caroli reditum ſui putabit.

N. Vincent, Coll. Regal. Socius, S. T. B.

CYnthius Anglorum Boreæ delatus in oras
Fecerat hic cœcos & ſine luce dies:
Mox rediit, ſparſítque comas. Cantate Camœnæ,
Ut ſolet ad reducem dulcis alauda diem.

T. Strode, C. C. C. Generoſ.

CArolus *Auſtrales* quòd jam feſtinet ad *oras*,
Non equidem ſolito majus id eſſe reor.
Sol mundi *Arctoum* linquet modò *Clima*, tuúmque
Inſequitur ſolem, Carole magne, *jubar*.

Tho. Paget, filius Guilielmi Paget,
Baronis de Beaudeſert,
Colleg. Sid. Suſſ.

Anglia ad Regem.

DIcuntur *minimâ contenti nocte Britanni:*
Non mihi poſt reditum nox erit ulla tuum.
Ecce tuis radiis mea jam matura videtur,
In teneris herbis quæ modò meſſis erat.

Guiliel. Mountagu, filius natu ſecundus
Edvardi Baron. Mountagu de Boughton,
Coll. Sid. Suſſ.

Anglia ad Regem.

AUctior inſigni diademate Carole, ſalve:
Nunquam diſcedas, vel citus ipſe redi.
Jam falſum video, quod vulgò dicitur, in te:
Omne bonum nobis ex Aquilone venit.

Chriſtophorus Mountagu filius natu
tertius Edvardi Baronis Mountagu
de Boughton, Coll. Sid. Suſſ.

Bucepha-

BUcephalus piger eſſet, lentus Pegaſus: Unde
Quæramus, quo Rex adveheretur, equum?
Huc vos ſiſtatis, Pyroîs, Eoëque & Æthon,
Et tu quarte Phlegon; ſubdite colla jugo.
Mittite jam ſolitum, tranſverſo pergite curſu:
Caroli ab Arctoo plauſtra referte polo.
Nec parcas ſtimulis, Auriga, nec utere loris:
Attamen adventus ſic quoque tardus erit.
Angliaci populi prævertunt vota vel ipſos
Solis, quantumvis præcipitentur, equos.

Georg. Heath, C.C.C. Filius Domini Roberti Heath Summi Juſtitiarij de Com. Banco.

CUm Phœbus noſtris nuper diſceſſerat oris,
Et caput æquoreis fulgens abſconderat undis;
Nox erat, ac omnes unà tum flevimus Angli:
Flevimus, & fletus rupêre ſilentia noctis.
Indè novos radios, Titan nova lumina ſpargit:
Inviſénſque ſuos, triſtes fugat uſquè tenebras.

Rob. Gardiner, Coll. Sid. Suſſ. Generoſus.

Ad Auguſtiſſimum Sereniſſimúmque CAROLUM,

De maturato è Scotijs reditu.

CUm dederit lucem Carolo tibi Scotia primam,
Atque olim cunas moverit alma tuas,

Mirabar reputans ſpatium quòd, Car'le, bimeſtre
Sufficeret dulces has repetiſſe plagas:
Quòd Patriæ ſedes non Te tenuêre vetuſtæ,
Et quòd non reditum ſit remorata tuum.
Attamen huc revolans Patriam non deſeris; iſta
Tota tibi patrium terra Britanna ſolum.
Hàc autem thalami conſors, hàc pignora chara,
Non miror rapidâ hàc Te rediiſſe rotâ:
Hàc tua Penelope ſcripto te fortè vocavit,
Vel cœpit Regni cura vocare; *Veni.*
Vix Phœbus cœli interea duo ſigna peregit,
Nobis dum invitis Te mora detinuit:
Quin & Solſtitium cœlo lux maxima paſſa eſt;
Nec fruſtra, Cæſar cùm rediturus erat.
Quippe hyemis tenebras tibi non voluêre moleſtas
Numina: crediderim Te metuiſſe deos.
Quare, quod reſonans gratè canit Aula, quod & Grex,
Gentis Apollineæ vox fuit una, *Redi.*
Sint fateor nonnulla Patrum dictamina vera:
Hoc tamen excipiant; Abs Aquilone malum.

Guil. Norwich, Coll. S. Pet. Socius.

SI quid terra Britanna glorietur:
Seu pacem gravis inſciam tumultûs,
Nec bello lacrymabili minutam,
Nullis inſidiis periclitatam,
Sed tutam magis, indies adauctam:
Seu feſtos numeret dies, beatos
Annos, quos neque priſca vidit ætas,
Et queis aurea ſecula invidérent:

Seu

Seu trophæa loquatur & triumphos,
Hæc accepta tuis refert habenis,
Regum maxime, Principúmq; Princeps.
At quamvis tibi debeant Britanni
Pacem, festa, trophæa cum triumphis,
Plus debent tibi Car'le, quòd redisti.

Ro. Ashton, Aul. Pemb. Art. Bac.

OMnia festinant venienti occurrere Regi,
Omnia conantur reddere χαῖρε suum.
Sic neque Musa tacet, sed qualia qualia possit,
Exprimit, hoc tentans edere voce, *Venit*.
Nec contenta domi, sed Regem visere tendens,
Utitur & pedibus nostra Thalia suis.

Hen. Hunlok, C. C. C. Generosus.

CUm Rex finitimas teneret oras,
Ubi tum fuit Anglia, & sororum,
O tu Chame, novem beata sedes?
Non hîc Chamus erat; nec ille vultus,
Qui semper patet, Angliæ patebat:
Quam vestigia Regis insecutam
Tunc credo in Scotia fuisse terram.
Sic est. Seu Scythiæ remotus oras,
Seu Princeps Lybicos pererret æstus,
Illîc Anglia: Carolúsque semper
Domi est. Anglia totus una mundus.

Cæsar Williamson, C. T. Art. Bac.

DIfficile eſt, carmen non ſcribere: gâudia noſtra
Dum numeris canimus, non numerâſſe juvat.

Plectra petunt, ſaltant agiles, Reducémque Camœnæ
Reddere conantur liberiore pede.

Ungula tardipedum lentè feſtinat equorum
Nunc opus alato eſt Bellerophontis equo.

Tardiùs ignavi properant ad vota veredi:
In voto eſt, alas pennula noſtra daret.

Sed finem impoſuit Præſentia tuta querelis:
Et jam ſollicitos gaudia ſolâ premunt.

Eclipſin paſſa eſt viduata Britannia noſtra:
Dum Regina micat, tota nec Illa fuit.

Jámque ſimul propriâ Radiantia Lumina ſphærâ
Fulgent: Nec tenebras noverit Illa Dies.

In votis habet Car. Goodman,
Coll. D. Joan. Socius.

Invitatio ad Sereniſſimum Regem CAROLUM, *ut relictâ Scotiâ revertatur in Angliam.*

LInque *Caledonias*, Princeps dulciſſime, ſylvas,
Nóſque ſinas radio jam propiore frui:
Te populus *Regem*, conjux dilecta *Maritum*
Expectat, charum ſtirps generoſa *Patrem*.
Sceptra vocant, *thalami*que vocant, *cunæ*que beatæ;
Es *Rex*, es *Conjux*, es *Pater*: Ergò veni.

Te

Te ſimplex pietas Boreali detinet orbe:
Æquum eſt ut cedant unica vota tribus.

In Auſpicatiſsimum ejus reditum.

DIi prohibete, alios peteres ſi, Carole, ſoles,
Sentirêtque ſacros terra remota pedes,
Quantùm hæc torqueret trepidas abſentia fibras!
Opprimeret quanto pectora noſtra gelu!
Gens eadem tenuit: (*Scoti* jam nomen & *Angli*
Perdidimus, tellus ambo *Britanna* ſumus)
Te tamen abſentem querimur. Pars, Carole, regni
Te vellet ſolum quælibet eſſe ſuum.
Fas odiis certare piis, gratóque tumultu,
Atque omnis juſta eſt lis in amore tui.
Non tibi tres dicam, non quattuor eſſe coronas:
Quot loca tu viſis, tot loca Regna facis.

T. Randolph, Coll. Trin. Socius, Art. Mag.

POſt tibi luſtratas tua, Rex, cunabula terras,
Poſt Scotiam natale ſolum, quæ prima fovebat
Naſcentem gremio, cùm non inglorius infans
Triſtibus implebas patriam vagitibus aulam,
Magnus ad Angliacas tutûſque reverteris arces,
Te ſine nutantes. Humeros ſic Hercule mundo
Subducente ſuos, dabit hæc librata ruinam
Machina, & attonitis titubabit Signifer aſtris.
Carole, quantus ades! Dic, ô dic maxime rerum,
Qualia jam reduces Anglorum examina currus
Circumfuſa tuos, tibi conſpexere ſalutem,
Et ſibi ſervatam; qui cantus, plauſus, & urbis

Clamor

Clamor, & auditi per agreſtia culmina Panes.
Talis Cæſareas excepit Roma quadrigas,
Cùm nondum dictator erat, taliſque Jacobum
Anglia, cui ſimilem te, Carole, numina præſtent
Imperio, & vitâ: ſed ſit tua longior, & ſi
Nec ſuperi prohibent, nec inexorabile Clotho
Volvit opus, Pylii tranſcendas Neſtoris annos.

Georg. Hall, Coll. Regal. Socius, Art. Mag.

SOle cadente, nigrâ noctis caligine Veſta
Reconditur carens nitente lumine;
Undique tota rigent animalis membra, ſtupéntque
Cadente luce ſpiritûs origine:
Haud aliter tenebris tegitur, ſtupet Anglia demptis
Suis honore, ſole, luce, gloriâ.
Aſt velut obductam rediens diſpergit Apollo
Nigredinem, diémque reddit auream;
Ut redeunte animâ proſtrato vita revertit
Cadaveri ocyús, calórque corpori:
Rex pariter tenebras diſperget noctis, & orcum,
Diémque ſpiritúmque ſubditis dabit.
Juſtitiæ mirum ſpecimen! Rex optime, Vive
Tibi, tuis, piis, honor, decus, ſalus.

H. Maiſterſon, C. C. Art. Mag.

SCotus te puerum vidit, te, Carole, ſponſum,
Hiſpanus Juvenem; Singula Brutigena.
Felix Hiſpanus; bis Scotus; térque Britannus:
Sin videat, ſelix térque quatérque, ſenem.

T. H. C. C. Sereniſ-

Serenissimo Rege CAROLO *è Scotia redeunte, protinus serena facta sunt omnia.*

ALbion es verè nunc, Anglia: protinus alba
Omnia sunt, Phœbo nunc redeunte tuo.
Diffugêre imbres, rident nunc prata colonis:
Succedunt hilares, & sine nube dies.

Thomas Gouge, Coll. Regal. Socius, Art. Mag.

QUaliter emeriti Cyclops auriga diei
Purpureos gelido cùm tingit in æquore crines
Comptior emergit, miretur ut oscula tellus
Flammea, nec credat pelago venisse maritum:
Taliter Angliaci Carolus sol unicus orbis
Hirta Caledoniæ linquens vestigia sylvæ,
In gremium Albionis, sponsæ calidosque lacertos
Excipitur, collóque licèt det brachia circum,
Borbonis amplecti vacuam cum Ixione nubem
Se putat, & rarum vix credit habere maritum.
Ecce iterum, multis lacrymis quem flevit Adonim
Absentem, in proprios reducem tenet Anglia fines.
Quos ergò obliquum invidiæ sulcavit aratrum,
Quòd procul hinc nostrum complexa est Scotia Regem,
Læta serenatos exporrigit Anglia vultus:
Fit rutilus cum sole dies, qui nuper aquosis
Horruit obductus, Phœbo cedente, tenebris.

Joan. Young, Coll. Regal. Socius, Art. Mag.

CUm Phœbus rutilas agens quadrigas,
Confecit stadii viam diurni,
Et cœlo piceam reliquit umbram;

Triſtes, occiduis diem ſub undis
Merſum credimus avolâſſe nobis:
Et dum *Carolus* Anglicam coruſco
Vultu jam viduat plagam, benignum
Splendorem Scoticæ daturus oræ,
Diſceſſit lacrymis, & amne merſus,
Quali perluitur nec ipſe Phœbus.
Mox ut gurgite ſuſtulit rigatos
Eoo radios, novâque luſtrat
Mundum lampade, roridas calore
Exiccat violas, roſas, & omne
Quicquid terra refundit herbularum:
Jam Princeps ſolitæ benignitatis
Grato lumine nos revîſit. Indè
Rores diffugiant, ſerenitáſque
Æternum teneat locum doloris.

Nath. Willys, Coll. Trin. Socius, Art. Mag.

QUi cecinit *minimâ contentos nocte Britannos*,
Quàm mendax nobis iſte Poëta cluit!
Regis etim Caroli prælonga abſentia noſtri
Nox quanta Angligenis omnibus iſta fuit!
Nunc noſtro adveniens diſpellit ab orbe tenebras,
Jam redit & nobis, quæ fuit antè, dies:
Æterno lacuiſſe Chao ſi vellet Apollo;
Haud poterit, Carolo, lux, redeunte, mori.

H. Wynne, T. C.

De

Querela de longa mora Serenissimi nostri Regis in Scotia.

REdi, Carole magne; quid moraris?
Abes jam nimiùm diu: Maria
(En!) Regina vocat tori beata
Consors, & soboles, fidelibúsque
Plebs desideriis vocat referta.
Redi, Carole magne; quid moraris?
Pulsis hîc nebulis, resplendet æther,
Et soles meliùs nitent; nec atrox
Nunc quassat tonitru tuos; calorem
Sed lenit Zephyrus, velut flabellum.
Redi, Carole magne; quid moraris?
Hinc illíncque salix & ulmus auræ
Vi motare caput suum docentur;
Ut regis reditu sonare χαίρε
Ruris quaslibet arbores putemus.
Redi, Carole magne, quid moraris?
Et Chamus pater alveum retardat,
Exoptans reditum tuum videre;
Chamus Pieridum pater, jubet qui
Gnatos pendere debitam Camœnam
Patrono facili, pióque regi.
Redi, Carole magne; quid moraris?

Guil. Fairebrother, Coll. Regal. Socius.

SÆpe, sed ignoscas, tibi, Carole, sumpsit in umbrâ
Garrula dextra chelyn; chordæ tremuere minores,

Blanda verecundis rubuerunt ora Camœnis,
Purpura ſéque parem ſuccenſa pudore negavit:
Suffeciſſe tuis nec enim virtutibus altum
Eſt opis alterius carmen, nec viribus iſtud
Contigit: O præſens animis illabere noſtris,
Ipſe veni: ſic nocte jubar, ſic ora petebam
Afflatúſque tuos. Sine te nox quanta tuorum!
Nox (ah!) longa nimis, niſi te ſopor induat umbræ,
Utque deos terræ, te ſancta crepuſcula cernant.
Orbe diu gelido bellatrix Scotia longè
Obſtitit, & pulchrâ te majeſtate nitentem,
Oréque ſublimi, ſed cui famulantur amores,
Unda Caledoniæ populoſior ambiit oræ,
Et ridente ducem pax obſidione ligavit.
Conjunctis animis te ſpiraviſſe ſuperbè
Creditur, exclusâ denſis concurſibus aurâ;
Gentis amor. Reparare tuos, mundúmque cadentem,
Car'le, Videre fuit. Morientes reſpice Muſas;
Et feſtinus ades: nam cura impenſior Anglis
Ardentem ſtimulat, reditúmque potentiùs urget
Imperii dilecta domus, cui credere ſponſam
Purpuream, charúmque genus dignatus, & annis
Majorem Carolum, ſexúque micante Mariam
Matris ad exemplar, quæ te fidiſſima caſtis
Implicet, amplexus nunquam & ceſſantibus ulnis.
Nè via longa tibi placeat, nè rurſus eundi
Copia divellat, votis & ſponte favebis:
Æternúmque dabit conſtans præſentia carmen.

Iſaac. Ollivier, Coll. Regal.

Felix

FElix Scotia dicitur; quòd ipſa
Infantem Carolum priùs ſalutat:
Felix Anglia dicitur; quòd ipſa
Regnantem Carolum priùs ſalutat.
Anglos viſere non valebat infans:
Scotos viſere at imperans volebat.
Sic te, Carole, parvulum videre,
Et magnum pariter licet Scotiſtis:
Anglis non licet eſſe tam beatis.
At ſi nunc, Scote, geſtias videre
Auguſtum, huc precor advoles: placebit
Nobiſcum Carolo dehinc morari.

O *Mihi poſt nullos Juli memorande*, beate
Menſis præ reliquis quos vagus annus habet.
Sæpius hoc votum tulimus, Gratiſſimus adſit
Julius, haud poterit Cæſar abeſſe diu.
Ille vocatus adeſt, & gaudia noſtra reducit,
Quas dedimus, vanas non ſinit ire preces.
Suaviùs hinc tranſire dies ſentimus & annos,
Lætior & nobis quælibet hora venit.
Tempora ſic abeant redeántque, recénſque voluptas
Succedat veteri: Tu modò, Car'le, mane.

Votum pro reditu.

CArole rumpe moras, & equum conſcende: Maria,
Parvus & Aſcanius, quo licet ore, vocat.
Quadrupedes, auras rapido prævertite curſu;
Et celeres dicam vos ego Solis equos,
Solis equos noſtri: curſum ſi ſiſtitis, adſunt
Quæ ſtimuli peragant fervida vota vices.

Reginæ languor thalami conſorte carentis,
Quæ ſilices poſſit flectere, flectat equos;
Nec rigidæ cervicis equus detrectet habenas,
Fræna nec abjiciat, quæ tria regna ferunt:
Carole, ſic ſoboli genitorem redde, dolenti
Redde virum ſponſæ, redde patrem patriæ.

J. C. Aul. Pemb.

TUque, cui verſus pede delicato
Præbuit mollis Venus, alma Sappho,
Caſta nunc adſis, nec inordinatæ
Conſcia flammæ.

Tende quin œſtro chelyn encheato
Si potes: forſan dabitur ſecunda
Caroli ſacræ dare perlegentis
Oſcula dextræ.

Redditum nobis, agé, gratulare
Cæſarem, cœli plaga quem ſereni
Flevit abſentem, reducémque lætus
Phœbus adorat.

Quantus, ô quantus ſtupor occupavit
Intimas regni Angliaci medullas,
Fuſca cùm noſtrum occuluit tenebris
Scotia Solem!

At micat tandem roſeis capillis;
Qualis undoſæ Veneris ſolebat
Cura, cùm linquit madidus ſilentes
Lucifer undas.

Heu

Heu! Nimis, longùm nimis abfuiſſe
Creditur noſtris procul hinc ab oris
Caroli vultus, Cynoſura noſtræ
Sola ſalutis.
Quin (Io!) ſalvus redit: auſpicatò
Nuncius nuper Canis oblatravit
Sirius, motâ dominumque caudâ
Blandulus ambit.
En! *Venit*; clamor populi precantis,
Carolus vivat, ſonuit per aures:
Carolus vivat, recinit jocoſa
Vocis imago.

Samſon Brigges, Regalis.

Ad Regem Carolum, de imperii ſui in ejectatis in Scotia coronatione.

GRatus ades rediens uno diademate major;
Hæc tibi ſors longæ præmia digna viæ.
Siccine, Rex, populus ſocio ſine milite vincis,
Ut caput impediat tanta corona Tuum?
Quid referes, ſi bella tonas, lituſque, tubæque
Horrendo ſonitu tympana miſta crepant?
Nempe Tibi trepidus prodet timor undique gentes;
Et cadet ad ſanctos multa corona pedes.

J. Cook. Coll. Trin.

UT ſola conjux, triſtis & anxia,
Noctes cubili quæ viduo trahit,
Suſpiriis quaſſat tenellum
Pectus, & ingeminat querelas:

Vix

Vix claudit ægris lumina palpebris,
Quin mille oberrent horrida ſpectra; dum
Interdiu, noctúque verſant
Cura, dolor, gemitúſque mentem.

Mox hora felix dat reducem virum:
Tunc orbitatem, tunc querimonias
Dediſcit, & luctu ſoluta
Tota ruit ſolitas in ulnas.

Hinc arctiori colla manu premens,
Narrat timores, quos ſibi ſuſpicax,
Et mœſta finxit; dúmque narrat,
Oſcula dat lacrymis peructa.

Sic Aula, ſic Urbs, ſic Academia,
Te, ſumme Princeps, Te, patriæ Pater,
Flevêre; dum cunas parentis
Ipſe Caledoniæ reviſis.

Gens Anglia mœret, dum precibus ſuum
Regem ſecuta eſt per juga montium,
Per vallium fallaciores
Areolas, tumidos per amnes.

Nunc quanta gaudet, cùm melior dies
Sydus reduxit, quod (vice mutuâ)
Abſentiâ, præſentiâque
Gaudia reddit idem, rapítque?

Idem.

De

De Serenissimi Regis CAROLI *è Scotia reditu carmen* ἐπιβαλήσιον.

IAm satis, Scoti, satis ebibistis
Nectaris, sat nunc super & beati:
Debitum nostro Carolum finatis
Poscere voto.
Si vel inviti modò reddidistis
Creditum Regem, minùs increpamus;
Quòd priùs Car'lum bene nostra Regem
Anglia novit.
Usquè nos vestrâ invidiâ fruamur,
Usquè, dum Car'lo modó, qui reversus
Scoticâ nostros reperit penates
Tutus ab ora.
Conjugem qualis gelidam revisit
Phœbus, & sævas hyemes fugavit,
Luce candentes humeros amictus
Splendidiore:
Hæc sui, lectum violis rosísque
Sternit, exultans reditu mariti,
Et novis prolem Dea grandiorem
Vestibus ornat:
Saltat herboso levis agna campo,
Musicam præbet Philomela, somnum
Thressa semestrem excutiens cruentum
Terea spernit:
Tu tuæ talis venias Mariæ,
Talis huic regno venias, tuisque,
Quo diu mœsti caruêre, reddas,
Carole, vultum.

Vota ſic reddant populus patréſque,
Victimas *Mater* ferat *alma*, cujus
Charta depoſcit rudis immolato
Carmine ſpargi.

Matth. Day, Regal.

Anagramma.

CAROLUS PRIMUS REX ANGLIÆ.
CURTA, LUX; REGNIS LAMPAS ERO.

GAllia me vidit, vidítque Hiſpania; ſed me
Anglica terra tenet, Scotia quem tenuit.
Regna mihi curæ, curæ mihi Curia: *Regnis*
Lampadis inſtar *ero*; *Curia*, *lúx*que tibi.

Joan. Green, Generoſ. Coll. D. Joan.

INgruunt Phœbo tenebræ fugato:
Albion veſtem induit indè nigram,
Nec dies novit, priùs ut ſolebat,
Candidus ire.

Tranſeunt Phœbo tenebræ reverſo:
Albion veſtem exuit indè nigram,
Et dies geſtit, priùs ut ſolebat,
Candidus ire.

Noſter

Noſter eſt Phœbus radiis refulgens
Carolus: ſplendet facilè inter omnes
Caroli currus, velut inter ignes
Luna minores.

Steph. Soam, Equitis aurati filius natu Max. Coll. D. Joan.

BIs quater attigerat cœleſtis brachia Cancri
Stellarum Princeps, octaváque viderat æſtas
Regnantem Carolum: non mixti nocte Britannis
Illuxêre dies, nec ſunt penſata tenebris
Lumina; perpetuo ſole illuſtratur Horizon:
Non petit Oceanum Carolus, nec vergit ad undas,
Regali tremulo dominatur jure profundo.
At poſtquam ſoboles radiati luminis hæres
Exoritur, Tropicum Boreali in limite Phœbus
Noſter adit, linquens redituri pignora prolem.
Sic quando aſtrorum Cyclops Coryphæus aquarum
Gurgite tingit equos, Lunam, flammáſque minores
Conſtituit reditûs languenti lumine teſtes.
Sed feſtinat (Io!) rediens, geminæque coronæ
(Ecce!) fugat piceas duplici fulgore tenebras.
Nunc iterum tumeat Thamiſis, Twedâque minorem
Se neget; Heſperias dilapſus uterque per oras
Neptuno narret ſe non minùs eſſe ſuperbum,
Quàm vagus Oceanus, vel amœni littus Iberi eſt,
Quorum olim grato ſaliêre hoc pondere fluctus.
Ætherii tempus Sol noſter Apollinis æquet,
Et tuto imperio terræ pelagíque fruatur.

Gu. Hall. Coll. Chriſti Bacc.

Τοῦνομα παννυχίου ΣΚΟΤΙΉΣ οὐ πολλάκι τέρπει,
Οὔποτε γὰρ κατέδυ λαμπρὸν φάος ἠελίοιο,
Μήτε δὲ νὺξ ὀλοὴ τέταται μερόπεσσι ΣΚΟΤΟΪΣΙΝ,
Ἀστὴρ δὴ Ἰακὼβ μέσον οὐρανὸν ἀμφιβέβηκεν.
Ἀγγλίη, ἐσσὶ ΣΚΟΤΟΣ νῦν, ἐκδημοῦντος ἄνακτος
Φωστῆρος· σκιερὴν γαίην δ' ἐμέλαινεν ὁμίχλη.
Χαίρετε· φωσφόρος ἦλθε μὲν, αὖθις ἀφίκετο γαῖαν,
Εὐφρῆναι ἄλοχόν τε φίλην, καὶ νήπια τέκνα
Σκηπτοῦχος βασιλεύς, πόλεως χάρις, ἐλπὶς ἀείστων,
Ὄπλα δὲ ταῖς ἀρεταῖς, καὶ χρήματα μοῦνα πενήτων,
Μουσοπόλοις λειμὼν πολυάνθεμος, ἠδὲ γαλήνη,
Οἶκον ἐϋκτίμενον γελάσας, καὶ κτήματ' ἐκάνει.
Ἄσβεστος δ' ἄρ ἐνῶρτο γέλως μακάρεσσι Βρεταννοῖς.

Abrahamus Wheelocus, Clarensis, Bibliothec. Pub. & Arab. Prælector.

QUanto tuorum tristia pectora
Nuper timore, ô maxime Carole,
Mentésque turbavit labantes,
Te referens, patriâ relictâ,

Terras profectum rumor in ultimas!
Pro Rege semper solliciti suo
Sic sunt Britanni; illo salutem
Incolumi propriam tuentur.

Rex summe, tecum quisq; animo abfuit,
Mentes tenebas unus & omnium:
Non civium votis abesse
Ipse diu poteras tuorum.

Discessit ergò jam dolor & metus,
Jam luctus oras fûgit & Anglicas,
Salúsque & omnis nostra nobis
Cum Carolo rediit voluptas.

Thom. Mountague, Regal.

Angliæ gaudium de recuperato ſuo Carolo.

QUàm non TE faciles aliena inviſere demus
Signa damus, dum vix viſere, *Carle*, tua.
Et tamen Hiſpanis rediiſti tutus ab oris,
Ut nunc Cimmeriis, ſic priùs Heſperiis.
Cæſaris illa quidem, *Mea me quæ ſemper, & uſq;,*
Fors dedit incolumem; Fors tua, *Carle*, precor.

Humfridus Bing, Doctor Medicinæ, Regalis.

DUm veſtro afflatu, Barclaii, fœta, Camœnas,
Et Buchanani, Scotia rurſus habet,
Exulat à nobis tecum ſimul ipſa Poëſis,
Avolat atque pari Pegaſus ipſe gradu:
Anxia ſuſpendit dubias Academia Muſas,
Et queritur pennam tardiùs ire ſuam.
Ergò ſuo Regi fruſtra Soteria mater
Miſit? an, à morbo liber, abire valet?
Convaluítne aliis terris? illúmque viciſſim
Reſtituit nobis, & rapit, ægra ſalus?
Heu! Quàm penè tuo faviſſet & Anglia morbo!
Vult ſaltem ægroto certiùs illa frui.
Vidimus hinc quid damna juvant: ſciat Albion orba,
Quantillùm poterit Rege carere ſuo.
Subſultim fugitans ſic nutrix terret alumnum,
Et redit, & blandos reſpicit indè metus.
Nec fruſtra timido tantum indulgemus amori,
Pulchrior ut redeas, non abiiſſe querar.

Ro. Creſwell, Coll. Trin.

QUo flatu propiore Dei correpta tumeſcunt
Pectora! quæ rabies horrendos cæca receſſus,
Antráque ſæra replet Vatum! vix numine tanto
Inſpirata ſuas attollit Delia laurus
Inſula, fulgentes quæ ſpe præceperit arcus
Venturúmque Deum. Quo flagrant pectora voto!
Gaudia quàm miſerè conſumpſimus ægra trahendo
Tempora! quàm metuo canos in vertice crines,
Rugoſáſque genas! Neque enim, ſi Pegaſus alas
Subderet, atque tuis gaudens ſervire lupatis
Exanimes curſu poſt terga relinqueret auras,
Noſtra tamen rapidis poſſet prævertere remis
Vota; morámque tuus vix ludo fallit in Aulâ
Carolus, in Patrios dum mores creſcit, ab iſtis
Sentit abeſſe Patrem: dein plurima volvitur ore
Scotia, nutricíſque ſuæ mendacia verbis
Arguit, & tardos reditus crepat uſquè querelis.
Talis in Idæis reptavit parvulus oris
Moturus convexa Poli, Crepitacula dextrâ
Dum movet, & teneris diſcit torquere lacertis.
O properes! Tibi verba parat maturior annis
Hyblæis immixta favis, quæ ſternere criſtas
Vipereas poſſint, tetricas mulcere novercas.

Car. Maſon, Regal.

A Carolo meritos habet utraque terra dolores;
Anglica terra ſuos, Scotica terra ſuos.
A Carolo meritos habet utraque terra triumphos;
Scotica terra ſuos, Anglica terra ſuos.
Exiit: hinc Anglis lacrymas dat, gaudia Scotis
(Quas, heu, quas lacrymas! gaudia quanta!) ſuis.

At

At redit: hinc Scotis lacrymas dat Carolus, Anglis
Gaudia (proh superos!) millia mille suis.
Utraque terra suos habeat sic opto triumphos
Sæpius, & lacrymas utraque terra suas.
Sic abeas, redeas sic, Carole, sæpius, oro:
Exitus & felix sit reditúsque tibi.

Steph. Jones, Coll. D. Joan. Art. Bacc.

Carmen Dialogicum inter Angliam *&* Scotiam *de auspicato egressu Serenissimi utriusque regis* CAROLI.

NOsti quàm longùm densis sim mersa tenebris, *Scotia.*
Occiduo nimiùm Sole, benigna Soror.
Redde, precor, Phœbum, tenebrásque amplectere nostras:
Natura æternum noluit esse diem.
Alternum patitur Pollux cum Castore fatum:
Persephone feno sydera mense videt.

Non injusta petis: proin nostro Sole fruêris; *Angl.*
Volvemur tenebris &, Soror alma, tuis.
Me verè hinc * Scotiam, téque Albion indè vocabunt: * παρὰ τὴν σκότος.
Nostrum, mutato numine, nomen habe.

O, verè tandem nobis soror, Albion! unde? *Scot.*
Quas referam grates? quæ monumenta struam?
Oscula & amplexus cur nobis invidet amnis?
Et cur contiguum claudit utrinque latus?

Parce referre mihi grates, Carolúmque tuêre; *Angl.*
Ostendas illi, quàm mihi grata fores.

Tellus

Angl. Tellus noſtra precor citiùs diſrupta fatiſcat,
Et nos præcipites Tartara ad ima ruat,
Magnanimum hoſtilis Carolum quàm dextera tangat:
Non eſt in reges perfida noſtra manus.

Alterum inter eaſdem de auſpicatiori ejuſdem regreſſu.

Scot. ALbion, ecce tuum Carolum, noſtrúmque! Sed (eheu!)
Quamvis ſit noſtras, jam nimis ille tuus.

Angl. Immo tuúſque meúſque ſimul, Soror optima: verùm
Sit tua, ſit χώρης· ſed mea κτῆσις erit.

Scot. Accipe, Nos umbram ſolitam, tenebráſque petemus;
Dulce erit & pueris hunc recitare diem.
En! Regina vocat; vocat alter Carolus: euge!
Vagit & in cunis parva Maria ſuis.
Audio; nulla mora eſt: Solem quin, Albion, ulnis
Accipe; ad occaſum me mea fata vocant.

Angl. Feſte dies, quo te reducem mihi cernere, Cæſar,
Contigit! O quàm te ſic caruiſſe juvat!
Qualis in ore tuo fulgórque decúſque reverſo,
Carole! majeſtas qualis in ore tuo!
Talis (Io!) talis noſtras modereris habenas,
Dum cœli currum Phœbus Apollo regit.

Joan. Pearſon, Regal.

Ad CAROLUM Regem.

EXis: hinc nimbi ſtillârunt agmine, flentes
In lacrymas nubes diſſolüêre genas.
Dive redi: nil triſte pluet, ridebit *Olympus*,
Quáque viam carpes *lacteus orbis* erit.

Guil. Flathers, Coll. Sidn. Socius, Art. Mag.

Ille redit, redit. Hoc populi bona murmura volvunt,
Publicus hoc (audín'?) plauſus ad aſtra refert:
Hoc omni ſedet in vultu commune ſerenum;
Omnibus hinc una eſt lætitiæ facies.
Rex noſter, lux noſtra redit; redeuntis ad ora
Arridet totis Anglia læta genis:
Quiſque ſuos oculos oculis accendit ab iſtis;
Atque novum ſacro ſumit ab ore diem.
Fortè roges tanto quæ digna pericula plauſu
Evadat Carolus, quæ mala, quóſve metus:
Anne pererrati malè fida volumina ponti
Auſa illum terris penè negare ſuis:
Hoſpitis an nimii rurſus ſibi conſcia, tellus
Vix benè ſperatum reddat Ibera caput.
Nil horum; nec enim malè fida volumina ponti
Aut ſacrum tellus vidit Ibera caput.
Verus amor tamen hæc ſibi falſa pericula fingit:
(Falſa peric'la ſolet fingere verus amor)
At Carolo qui falſa timet, nec vera timeret:
(Vera peric'la ſolet temnere verus amor)
Illi falſa timens, ſibi vera pericula temnens,
Non ſolùm eſt fidus, ſed quoque fortis amor.
Interea noſtri ſatis ille eſt cauſa triumphi:
Et ſatis (ah!) noſtri cauſa doloris erat.
Cauſa doloris erat Carolus, ſoſpes licèt eſſet;
Anglia quòd ſaltem dicere poſſet, *Abeſt.*
Et ſatis eſt noſtri Carolus nunc cauſa triumphi;
Dicere quòd ſaltem poſſumus, *Ille redit.*

Rich. Craſhaw, Aul. Pemb.

Tripudium in Regis Caroli *reditu exoptatissimo.*

SOlio residens *Scotico*
Quando hinc abesset *Carolus*,
In ore solum hoc omnibus,
Quando redibit Carolus?
Hæc una vox & Clericis,
Et Rusticis, & Civibus:
Hæc cantilena Musicis,
Rogitantibúsque res novas,
Et curiosè garrulis,
Quando redibit Carolus?
Redeunte tandem *Carolo*,
Vox una, mutato sono,
Gaudete: rediit Carolus.
Isthoc fabrilis artifex,
Hoc fixa penso fœmina,
Et fila deducens colo
Noctes diésque sedula,
Operi libenter accinit,
Rediisse Regem sospitem.
Quid ergò Musis aptius,
Quæ tecta replent *Palladis*,
Grantæq; ripis assident,
Quàm canere festivum melos,
Rediit, valétque Carolus?
Facessat ad tempus liber,
Arcana naturalia,
Dialecticorum vortices,
Metaphysicorum oracula
Quicunque scriptis explicat.

Tace-

Tace Sophista garrule;
Nec finge Elenchos tortiles.
Stagirita præceptor sile;
Politica seponas tua:
Politicus esse non potest
Quicunque Regi debitam
Non præstat observantiam.
Stagirita præceptor sile;
Tua nec legantur Ethica:
Haud ille moratus bene,
Quicunque studiis incubat
Rigidis, profundis, tetricis;
Qui loquitur, audit, cogitat,
Aut aliud usquam somniat,
Quàm verba gratulantia,
Et metra testes gaudii,
Rex optimorum maximus
Suam revisit Angliam.

Thomas Goad, Petrensis, Art. Mag.

DUm parat ad Thamisin, Carolus, Twedâ, ire, relictâ,
Pectora divino numine mille replet.
Hinc Epicum facit hic, grandi tonat alter Iambo,
Ad querulam numeros fabricat ille lyram.
Nempe intentatum nihil est, Academia possit,
Carole, quò reditum concelebrare Tuum.
Metra sonant varié: sed in his concordia magna est,
Dum Carolum Angliaco fertur adesse solo.

A. Owen, Aul. Trin.

De felici Regis in Scotiam progreſſu, regreſſúque.

HEſperias quondam peragrâſti, Carole, terras;
Depoſitum nobis rettulit unda ſuum:
Cùm nunc obſcuros luſtrâſti lumine *Scotos*;
Te quoque felici tramite terra refert.
A precibus noſtris nec terra, nec unda refûgit:
Obfuit aut juſſis terra, vel unda tuis.

T. Sotheby, C. E. Art. Bacc.

In triſtiſſimam abſentiam Sereniſſimi Regis Caroli.

VIdete quantum Sanctitas, Prudentia,
Candórque poſſint Principis:
Ut dura gentis molliant præcordia,
Doméntque amoris ignibus.
En! ardet amens, omnis ardet Anglia,
Amore victa Caroli:
Illúmque in oris vix morantem Scoticis
Ægris repoſcit queſtibus.
O corda fidæ ſubdita obſervantiæ,
Quàm fœta curis anxiis!
Non ille, Martis obvius periculis,
Suam reliquit Angliam.
Non triſtis illum gens moleſtè diſtinet,
Ut hoſpes olim Cantaber.
Nec, cùm redibit, Carolo timebimus,
Quicquid minentur æquora:
Communis illum nóſque claudit Inſula;
Necdum trimeſtris abfuit:

Tum

Tum gente tutus hæret in fidiſſimâ;
Et cui libenter imperat.
Sed iſta noſtros vix dolores leniunt;
Tantis perimus ignibus:
Nec iſta noſtri, cùm redibit Carolus,
Quicquam remittent gaudii.

Ad Scotiam de reddito Rege Sereniſſimo.

O Bene quòd noſtris feſtinas reddere terris,
Scotia, delicias, quas tibi credidimus!
Quòd lacrymis regni germani, & queſtibus impar,
Quam vix ferre queas, effugis invidiam!
Tu natale ſolum, tu Delos Apollinis audis:
Quid cuperes tantis addere nominibus?
Nos ſolùm ætherios aſſueti hîc cernere vultus:
Hoc ſiquis miſeris auferat, occidimus.

Georg. Goad, Coll. Regal. Socius, Art. Mag.

NOſter ut Heſperias abiit Sol viſere gentes,
Ut caput occiduis præcipitavit aquis,
Quàm veram deſerta pati gens Anglica noctem,
Quámque ſub Arctoo eſt vivere viſa polo!
Nec minùs obſcuris latuiſſet merſa tenebris
Illa, Caledoniam Sole petente plagam,
Nî circumfuſam tantâ caligine nubem
Depulerant radii, Cynthia clara, tui:
Nunc agé, nocturnas, Phœbo redeunte, quadrigas
Pelle, tuam Phœbi cum face junge facem.
Luceat hæc ſemper venturæ neſcia noctis
Splendidior duplici lumine facta dies.

Rich. Watſon, Caio-Gonvill. Art. Bacc.

Ad Scotiam.

REddere depoſitum cùm ſis contenta Sorori,
Ibit in amplexus Anglia tota tuos.
Hoc foret invidiæ, Tacitis includere ſylvis,
Debita quæ toti lumina magna polo.
Cùm pede ſolis equi flammante repagula pulſant,
Tethyos amplexus non vetat ire diem:
Signa dat adventûs criſtati buccina galli,
Vulgus & ad cultum carmine cogit avis.
Nec, redeunte deo, minor eſt tua gloria, Nymphe,
Et tibi de noſtro conferet axe jubar:
Reſtat & in cantus data poſt Soteria gallus,
Qui canat adventus, Carole Magne, tuos.

Joan. Garrard, Joan. Garrard Equitis & Baronet. filius natu maximus, è Coll. Regal.

Ad Carolum Regem.

* Quatuor Aſterismi in cœlis ſic dicti.

DUm fuit in votis Tibi, Rex, * *Arctoa Corona*,
(Noſtri Zodiaci Sol, Cynoſura poli)
Cur non * *Arcturus* cœlo deſcenderat alto?
Ille * *Auriga* foret, Carole Magne, Tuus.
Cur non à cœlo deſcenderat, atque * *Quadriga*
Nomine quæ cœlo eſt facta ſuperba Tuo?

* Vulgò currus Caroli hâc formâ conſpicuus.

Thom. Bourman. Coll. Sid. Art. Bacc.

SAt memini cœlum te, Rex, abeunte, ſerenum
Abſcondiſſe caput, lacrymoſâque flumina vidi

Sæpe

Sæpe genis cecidiſſe poli: redeunte, renidet
(Ecce!) iterum, & grato nobis fulgore ſuperbit.
Hinc diſpar facies, noſtræ veriſſimus index
Mentis erat, ſimul atque Tui: Tu ſcilicet iſte,
Carole, Sol nobis, cujus diſceſſus amaris
Angligenas merſit tenebris, reditúſque repenſat
Uberiore modo, nobis quæ gaudia longum
Diſtulit abſceſſus. Tibi gratulor indè tuíſque
Car'le tuum reditum, qui dum feliciter Anglis
Præluces, ſemper gens eſt habitura ſerenos
Noſtra dies, minimis non obſcurata tenebris.

Dan. Wicherley, Coll. Reginal. Socius, Art. Mag.

Scotiæ & Angliæ mutua diſceptatio.

NUnquid ut exires veniſti, Carole? nunquid — *Scotia.*
Major natali non mora danda ſolo?
Nunquid in æternum diſcedis, Carole? nunquid — *Angl.*
Immemor Arctoo Phœbus in orbe manet?
Parcus ades, menſíſque dies vix una videtur, — *Scot.*
Viſa dies lætæ vix brevis hora mihi.
Longus abes, brevis hora dies, lux ſingula menſis, — *Angl.*
Hic viſus miſeræ ſecula multa mihi.

Regina ad Regem:

ÆQua fero viduis thalamis quòd ſola jacebam:
Cauſa fuit veſtræ digna *CORONA* moræ.
Quot menſes abſis, nova tot diademata ſume:
Viliùs haud Regem terra emet ulla meum.

Thom. Fuller, Coll. Sid.

Ad

Ad Principem nondum natum.

NAscere nunc, ô nunc! quid enim, puer alme, moraris?
Nulla tibi dederit dulcior hora diem.
Ergóne tot tardos (ô lente!) morabere menses?
Rex redit. Ipse veni, & dic bone, *Gratus ades.*
Nam quid *Ave* nostrum? quid nostri verba triumphi?
Vagitu melius dixeris ista tuo.
At maneas tamen: & nobis nova causa triumphi
Sic demum fueris; nec nova causa tamen:
Nam, quoties Carolo novus aut nova nascitur infans,
Revera toties Carolus ipse redit.

Rich. Crashaw, Aul. Pemb.

In faustum Augustissimi Regis egressum, regressumque.

MIror, cùm *Carolus* sit *Phœbus*, cumque *Maria*
Luna sit instar splendidæ,
Tanta quòd à *Carolo* sejunxit Terra *Mariam*,
Eclipsis & sit nullibi.
At rediit *Carolus*; *Carolo* conjuncta *Maria est*;
Conjuncta *Phœbo Cynthia:*
Nec tamen indè suo clausit sua lumina Phœbo,
Decus nec ullum Carolo.

Dan. Evance, Coll. Sid.

QUeis abiens nuper luctum, noctémque profundam
Intuleras, populi Carole vita tui:

Jam

Jam rediens nobis reddis cum fœnore lucem;
Lætior exoritur, te veniente, dies.
Sic quæ Sol fugiens obſcura & mœſta reliquit,
Hæc oriens ſubitò lucidiora facit.

Rob. Wynne, Coll. D. Joan. Generoſ.

In reditum Sereniſſimi Regis CAROLI.

Viſere feſtinans Anglos poſt terga relictos,
Currere diſpoſitis Carolus ardet equis.
Quadrupedante ſono rapitur per amœna viarum,
Et ſequitur Dominum plurima pompa ſuum.
Vos pedites Muſæ redeunti plaudite Regi,
Et benè diſpoſitis currite carminibus:
Quanquam nec vobis deſit vel Pegaſus ales,
Vel ſonipes verſus crure potente ferox.
Sed ſeu repat humi, ſeu Muſa per alta feratur,
Tendit ad aſpectum, Carole, tota tuum.

Ad CAROLUM Regem.

NExuit inter ſe primus duo regna Jacobus:
Carole, Tu nodus; nodus & alter, Amor.
Ultimus hic nodus quò poſſet ſtrictior eſſe,
Carole, per populos iſque rediſque tuos.

Joan. Booth, Coll. C. C. Socius, Art. Mag.

ESt locus (tribuenda ſi libellis
Fides hiſtoricis Geographorum)
Orbis particulâ in remotiori,
Per ſenos ubi nox quieta menſes

Involvit tenebris nigrum popellum;
Et ſol per totidem novus coruſcis
Illuſtrat radiis. Sed hoc quid ad nos?
Immo hæc Anglia noſtra mille menſes
(Annus ſcilicet omnis hora viſa eſt
Quâ tu, Carole magne, defuiſti)
Merſa eſt undique nocte ſub ſilenti,
Cùm tu, Carole magne, defuiſti.
At cùm nos repetis tuos jacentes,
Jam jam exorta dies, coruſcat ipſe
Non unquam occiduus repentè Phœbus.

Joan. Jones, Coll. Regal. Socius, Art. Bacc.

S. P. CAROLO Reduci.

TRoſſuli Hendecaſyllabi, venite.
Nati lætitias ad exprimendas,
Et noſtrum Carolum jubete ſalvum
(Io!) ter reducem: maris quem Iberi
Invita incolumem revexit unda;
Dimiſit pia flamma puſtularum;
Nec Caledonii Lares amici
Detinent Carolum; licèt Scoti jam
Vero nomine palpitent tenebras,
Retro tam ſubitò rotante Phœbo:
Sed noſtrî citò cura te reduxit,
Noſtrî, agnoſcimus, O benigne Princeps,
O Dilecte Deo; Tuæ ſalutis
Quas Cœlo obtulimus preces patronos,
Semper quàm facile invenire numen!
Omni chare Jovi, ſalo, ſolóque,

Flammulíſque

Flammulíſque, ter, (euge!) ter beate
Felici reditu, quem uterque vertex
Parnaſſi cecinit tribus triumphis,
Sed quartos negat, impotens ferendi
Non novi reditûs, ſed (heu!) receſſûs
Veſtri, Auguſte, novi! occidunt Britanni,
Si facis, qui anima es tui popelli.
Quòd ſi fata vocant, abire non eſt
Hoc, redit Carolus domos Deorum,
Non abit: Caroli, Deíque Reges,
Noſtro tam omnia Carolo pares, hi
Certè non abeunt, ſed inſtar ignis
Qui natale ſolum, domos ſupernas
Spirulis ferit exacuminatis,
Cœlos, (nam Carolos breves Penates
Terræ non pariunt, Dei, Deæque)
Cœlos, nectare ubi ſacrata Mamma
Lactavit, redeunt pii Carolli,
Nomen perpetuum bonis Monarchis:
Ut, ſi jam reditus ſuperſit alter,
Muſas, Carole, non moremur. Ipſi
Dii quartos facient tibi triumphos.

T. Ryley, Coll. Trin. Socius, Art. Mag.

CArole, nî redeas, morimur: non dico, Teipſum
Reddas, Nos nobis, Carole, reſtituas.
Redde redux animas, modò quas furatus abîſti:
Nos umbræ ſine te, ſpectráque nuda ſumus.

Jac. Duport, Coll. Trin. Socius, Art. Mag.

Τοῦ Καρόλου μέγα χαῖρ' ἅρμα τετιμένον, ἀντιφερῶν
Ἄξιον εἰ χθονίων ἄξιον ἀθανάτων.
Οὐρανίῳ, χθονίου τι πέλει Καρόλοιο ἅμαξα.
Εἰ δ μή, οὐρανίῳ χ' ἡ χθονίῳ γένετο.
Ἀλλὰ σὺ μὴ λίην σπεύδοις ὀδὸν Οὐλυμπίοι,
Καρόλε, θεσπεσίην τίλλει γεγηθὶς μητρῷν.
Καὶ γὰρ ἂν ἐν δηρῖσιν ἅμ' ἡμῖν ἅρπασα δμῳὰς
Ὀκριόεσσαν βέλει, ἄστρον ἢ ἠλίῳ.
Ἀσίεχε ἐν Σκοτίῃ, ἐν δ' Ἀλβίονι ἠελίοιο
Τέτρωμά σοί γ' ἱκανὸν χεῖρα ἀμεγαρτέα.
Εἰ δ μικρὴν ἄρτι κλῆσιν πολύκλειτος ἀναίνῃ,
Βαιτὴ, ὡς εἰκός, παλλαχῇ ἠλίῳ.
Τῇ γὰρ ναίεις λαμπρῶν ἐπιτελλομένων
Ἀκτίνων, ὅρτι ἄζετο ἐν βοτάναις,
Καὶ σὸν ἐμπλάσσοντος ἐν ἀλγεινῇσι περιαῖς
Ἀζάνετο τι χάος δακρυόεντα δρόσῳ.
Κλαυθμὸς ἀπὸν, μέγα χάρμα παρὸν ἐκύησεν φαάντης,
Ἥλιον ἐκμιμῇ, κ' γὰρ ὄγ' ἐστὶ γάλως.

Ζεὺς ποτὶ Αἰθιοπῆας ἔβη μετὰ δαῖτα χαίνας.
Ὠκὺ γὰ πάντα ἰδὼν ὦκα ἵδην Αἰθίοπον;
Ἡμίτεροι Κρονίδης, Ζεὺς ἠλιός ὄξιν. ἵκανεν
Οὐ ποτ' Αἰθίοπας, ἀρὸς δ' ἄπυεν Σκοτίλιν.
Νῶϊ δ' ἀνέβη ὀκ ἔβη. Ἄμφω ἄρεσ, ΧΑΓΡ' ἱερὸν φῶς,
Εἶπὲ αὐ Ἀγγλίᾳ, εἶπέ τι σὺ Σκοτίᾳ.

Hen. More, Coll. Christ.

JAm denſus aër pulvere concito
Candet: ſuperbus jam ſonipes fremit;
Audimus hinnitus equorum.
Ecce! ſuum Carolus reviſit
Regnum relictum. Deſine, deſine
Sperare quod jam, lætior Anglia,
Parcæ dederunt mitiores:
Deſine, quod renuunt, timere.

Non

Non bellicoſo vociferantium
Noſtra exprimantur gaudia militum
Ritu: decus noſtrum recedens
Pace abiit, rediítque pace.
Phœbus corona pocula nectare
(Namque oppidorum plurima inania
Donâre præfecti) manúque
Porrige Caſtalios liquores.
At tu profundis carceribus Dea
Carnem remorde viperam, videns
Noſtram ſalutem: nil habebis
Hinc quo avidos repleas hiatus.
Rex quippe noſter, Rex Carolus ſibi
Junxit decoram connubio Themin;
Compreſſa quæ nobis gemellas
Eunomiam tulit atque Pacem.

Idem.

Pro auſpicatiſſimo reditu Sereniſſimi Regis CAROLI,

Εὐκλητήριον.

PAciferas inter lauros reptare ſequacem
Permittas hederam, Carole, variſonus:
Tu modò planta tenax venientem amplectere Regem;
Si quercum cupias, hîc Jovis arbor adeſt.
Cui licèt abſentis pretium diadema refertur,
Ditior in ſolo Principe turba ſumus.
Hoc votum Anglorum eſt: A noſtris altera terris
Te, niſi cœleſtis, nulla corona vocet.

Joan. Weld, Generoſus, Coll. Trin.

QUàm mihi mens geſtit de te, Rex Carole, carmen
Dicere! (nam didicit, te redeunte, loqui.)
Muta priùs fuerat, necnon & clauda; triumphat
Aſt iterum ſolitos nacta Thalia pedes.
Ipſa Elegeia tibi ſaliens venit obvia; quamvis
Illi pes ſemper longior alter erat.
Quid mihi cum Phœbo? cùm tu miracula tanta
Efficias, ſolus tu mihi Phœbus eris.
Nam tibi ſunt Muſæ comites, abiêre Camœnæ
Tecum, atque (en!) Pallas, te redeunte, redux.
Jam ſileant vates Tempe, nec Muſa Maronis
Melliflui campos jactitet Elyſios.
Anglia celſa ſuum potiùs caput efferat: orbis
Delicias tenet hæc, hæc tenet una decus.
Hîc juga Parnaſſi ſita ſunt; hîc Carolus: eia!
Quiſque ſuum vates (quid mora?) ſcandat equum;
Huc intendat iter. Tanti præſentia ſolos
Æternùm faciet nos Helicone frui.

Henr. Bard, Regal.

AUguſti laudes fuerint committere claſſes,
Atque tubâ placidam ſollicitare Thetin;
At Caroli noſtri laus eſt connectere gentes
Connubio & ſtabili jungere regna duo.
Dicetur poſthac Scot-Anglia, magne Monarcha:
Sis longùm ſponſus, ſis utriuſque parens.

R. Boreman, C. T. Art. Bacc.

Sic

SIc Manes, umbræque Erebi ſtupuêre ſilentes,
Quamprimum infernum tetigit Proſerpina limen:
Confluxêre ſimul dilatis Tartara pœnis,
Reginam viſura novam: denſo agmine matres
Elyſiæ dominam circumvenêre recentem.
Sic cùm deſeruit noſtrum rex Carolus orbem,
(Carolus Anglorum Phœbus) ſeſéque dediſſet
Antipodum ſpectandum oculis, quæ gaudia! qualis
Invaſit Scotos ſtupor! agglomeratur in unum
Gens tota, & rapidis regem circumſtat ocellis,
Et, quia non oculis poterat ſatis, ore inhiante
Spectat, nec longo ſatiantur lumina viſu.
Jam mœrent erepta ſibi ſolatia Scoti,
Jam læti incedunt Angli, jam plena coronant
Pocula, votivis cumulántque altaria donis:
Jam fovet amplexúque tenet gens tota tenaci,
Perpetuóque precor teneat, nec Scotia rurſus
Jactet, ab Angliaca te raptum, Carole, gente.

Tho. Crowch, Coll. Regal. Socius, Art. Mag.

Ad Illuſtriſſimam Reginam MARIAM
à Rege gravidam relictam.

DIlecto dum rege caret, nè ſola jaceret,
(En!) fœtum, cum quo dormiat, intus habet.

Ad eandem.

LÆtari poteras, MARIA, totus
Te non deſeruit maritus: illud
Charum ventris onus, quod ipſa geſtas,
Pars eſt maxima Caroli parentis.

Ro. Aſhton, Aul. Pemb. Art. Bacc.

In

In reditum Auguſtiſſimi Regis
CAROLI.

IN cineres languenti animæ quis ſpiritus afflat,
Et vocat in flammas lætior aura novas?
Ecquid Hyperboreis ad nos converſus ab oris
Numinis aſpectu Sol propiore beat?
Scilicet. Et gratos teſtatur Muſa calores,
Præſentémque refert læta corona Deum.
Ut currus, ut equi, longúſque à Cæſare pulvis
Exhilarant populo corda, moráſque levant!
Ipſe ſuas Chamus ſiſtit taciturnior undas,
Nomen ut arrectâ combibat aure ſacrum.
Plebs conferta viam latè tenet. Utraque (mirum)
Gens ſimul eſt uno viſa Britanna loco.
Scotia próſequitur, ſed mœſtior; Anglia victrix
Excipit, & rixâ nobiliore valet.
Sic ſe olim paſſus *David* in ſua caſtra reduci,
Certarent ſimili cùm pietate Tribus.

CAPREOLUS pendens abrupta in rupe tuetur
Quod potuit, flexo procubuítque genu.

Thomas Rowe, Coll. Regal. Socius. S.T.B.

De Regis CAROLI deſideratiſſimi
repetita abſentia.

HIſpanis hoſpes; dominus, non advena, Scotis
Olim, nunc noſter Carolus abfuerat.
Nunc Anglis, verùm tunc abfuit ille Britannis:
Sat gravis, at diſpar, ortus utrinque dolor.

Temporis

Temporis atque loci prior eſt diſtantia major:
Per maria ac terras plura perić'la priùs.
Nunc ad nativam, contermina paſcua, terram
Ipſe ſuos adiit, præfuit ipſe ſuis.
Plauſimus ad Reditum (juſtiſſima cauſa) priorem:
Pectora jam major noſtra triumphus agit.
Nam quanto eſt idem Rex principe major eodem,
Tanto Lætitia hæc officioſa magis.

C. Rowe, Coll. Trin. Socius, S. T. B.

Spes evacuata, non vana.

ABſente modò tot ſeculis (ſec'lum dies
Trahit unaquæque) *Carolo*,
In vota ſpémque verſa nil aliud fuit
Quàm vota, quàm ſpes, *Anglia*.
Jam reduce, non ſpes facta, ſed res *Anglia*
Animæ ſibíque redditur,
Et expetitis fruitur, haud inhiat, bonis.
Sic Spem (Licétne? Sed licet)
Sic Spem, Fidémque, quæ ſacræ comites *Viæ*
Æterna per velum vident,
Vacuabit olim ſempiterna *Charitas*
Patriæ beantis incola.
Coràm intuetur hæc Deum. Haud Criticos moror.
Rex eſt imago Numinis.

N. Hobart, Coll. Regal. Socius. Art. Mag.

QUorſum oculos tendit contractos Anglia? quare
Albion hæc pallet, nomine digna ſuo?

Sydera quòd nostrum cupiunt Arctoa Booten
Adjunxisse suis irradiata polis?
Regius haud metuas errare Planeta; redito:
Cœlum erit hæc nobis Anglia, Sphæra tibi.
Parcite communem terris concludere Solem:
Antipodas visat sæpius ille suos;
Nobiliúsque micet redeunti purpura. Par est
Æstate ut mediâ Nox brevis ista foret.

F. Arundell, Coll. Trin.

CArole, redde diem: Tropicum conscendito nostrum,
Quò fiat nobis nox brevis, ampla dies.
Postquam aberas nobis, mutârunt nomina gentes:
Anglia nostra σκότος*, Albion illa fuit.
Ut redeas, Scotiæ adventum promitte secundum;
Quæ jactat patriæ se genuisse patrem:
Rex agé; Reginam comitem promitte futuram,
Ut possit nasci Carolus alter ibi.
Nunc celeri transvectus equo, currúque volanti
Impatiens longæ tædia ferre viæ,
Defraudes visu pueros, juvenésque, senésque,
Et populus clamet; FULgurat atque Tonat.

Georg. Harryes, Coll. D. Joan. Socius, S. T. B.

* Penthemim.

CUm priùs exieras cur non Academia carmen
Edidit, ad Scotos sed reticebat iter;
Jam redeunte tamen librum edit? Carole, res est;
Exitus ad lacrymas cogit, & indè silet:
Gaudiâ fert reditus; jam turpe silere: fit Alma
Mater vocalis, quæ modò muta fuit.

Thom. Lant, Coll. Jesu Socius, Art. Mag.

TE, Rex Magne, quibus votis comitabar euntem!
Quóve animi affectu te reducem excipio!
Non possum digno complecti carmine: Musam
Gaudia præpediunt hinc, dolor indé, meam.

Joan. Goodrick, Coll. Jesu Generos.

Ad Academiam Gratulabundam de Reditu CAROLI.

EUge ô nunc Academia Alma Mater!
Quidni suspicer esse Proditrices,
Quæ Car'li reditum tacent, Camœnas?
En! Ridet Charitum venusta turba,
Et quicquid Venerum est venustiorum,
Tanquam sint reduces, Monarcha, tecum,
Nativum & Carolus solum sit illis,
Atque his Anglia sit, Monarcha Car'lus.
Quidni suspicer esse Proditrices,
Quæ Car'li reditum tacent, Camœnas?
Euge ô nunc Academia alma Mater!
Quorsum gaudia tanta tu libello
Et macrâ modò chartulâ recondis?
Transcendunt (puto) marginem Angliæq;, &
Vestram, Scotia, paginam, Voluptas,
Plausus, Oscula, Gratulationes,
Te Salvo Reduce, ô Monarcha Car'le.

G. Rogers, Art. Bacc. Coll. D. Joan.

Τέκνα Διὸς μεγάλοιο, τίη ῥοδόεντα παρειῶν
Φθείρετε τοῖς ὄμβροις ἄνθεα; χεῖμα, θέρος;
Τὸν φοῖβον Σκοτίης νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα;
Νῦν ἄρα μαρμαίρει Ἄγγελος Ἀγγλιακοῖς.
Πένθος ἴτω· στέψασθε ναὸς ἄνθεσιν ἀοιδῶν
Σκαίρετε, ὦ Χάριτες, καρπαλιμοῖσι ποσίν.

VEstibus arva novis splendescunt æmula stellis,
Nempe ut in amplexus obvia Regis eant.
Nutantes segetum submittunt colla phalanges
In domini reditus officiosa sui.
Nostra *Thalia* Tuam properat redeuntis ad Aulam
Quinq; agilis pedibus, CAROLE, bisque tribus.

Guilielmus Fiennes, filius Guilielmi Dom. & Vice-comitis Say & Seale, Coll. Emman.

De reditu Regio gratulatio, scintillis emicantibus ab incude Horatii.

VOtis & precibus vocans,
(En!) desideriis icta fidelibus,
Quærens *Anglia Carolum*
Vix unquam faciem de *Borea* movet.
Hoc ver imbribus ebrium
Est visum spatio longius annuo,
Brumâ tristius horridâ:
Nam *Phœbus* nebulis in *Borealibus*
Jam tum condiderat caput
Auratum. Ipse redux sed repetit Notum;

Qui

Qui, lux Sólque *Britannia*,
Maturè rediens optimus *Anglica*
Cuſtos gentis, amabilem
Lucem reſtituit *Carolus Anglia*.
Ejus vultus ubi ſemel
Affulſit, populo lætior it dies,
Et Soles hilares nitent.
Tanti eſt *Sceptrigero* pacifico frui.
Sic te cunctipotens *Deus*,
Sic *Chriſti* Domini vivida gratia
Sanctorúmq; regat Pater,
O germana ſoror candida *Scotia*,
Regem quæ tibi creditum
Fauſtis auſpiciis finibus Anglicis
Salvum reddideris. Redit
(En!) *Anglis* animæ dimidio ſuæ.

Guliel. Hawkins, Art. Mag.

SUmme, Caledonias dum, Rex, petis impiger oras,
Et patriæ reddis lumina grata tuæ;
Officioſa tibi cupit inſervire, ſuperba
Lux Phœbi poterit quòd comes eſſe tuæ:
Aſt interpoſitæ nos privant lumine terræ,
Et ſentit tenebras Anglia mœſta ſuas.
Ipſa peregrinum flent nubila ſydera Regem,
Luce videbantur quæ caruiſſe ſuâ.
Tum demum maduêre viæ, vultúmq; viator
In cœno adverſum ſenſiit eſſe dei.
Labilis haud potuit pes obfirmare caballum,
Dum queritur Regis numen abeſſe ſui.

Nos pejora magis turbâssent; tempora si non
Mutâsset reditus nuncia fama tui.
Tum Phœbus siccare vias, expellere frigus,
Et pleno incepit luminis orbe frui.
Deposuere metus homines, dum pulchra diei
Et facies lacrymis non tenebrosa suis.
Ergò hominum non esse puto phantasma, sed ipsos
Sentire imperii gaudia tanta polos.

D. Wyat, Coll. Trin.

SOles occidere & redire posse,
Veronæ modò dixerat poëta:
Soles occidere & redire posse,
Anglorum modò prædicet caterva.
Nec nobis, licèt occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.
Arctoo redit (en!) ab orbe Phœbus,
Et lucem reducem & ferens calorem.

Nec nobis tamen occidit brevis lux,
Sol non occidit. An secuta nox est?
Ecquid justitium, colone, longum?
Ecquid munera lætiora pacis
Discessum quereris fugâsse Regis?
Rapto haud vivitur, at suum cuique
Intactum manet & manebit usqué.
Nec Scotum σάτυρος, aut hiems Hibernum
Oppressit, propior licèt negatus
Aspectus fuerit Ducis supremi:
Præsens omnibus, omnibus serenus
Affulsit. Negat abfuisse longè

Quo-

Quovis tempore ſive ſede regem,
Qui ſenſit ſibi ſemper adfuiſſe
Quovis tempore ſive ſede legem.
Quid demum querimur vel iſſe regem?
Vel ſic efferimur redîſſe regem?

Eſto. Lumine Regii favoris
Floreſcant quoq; partibus remotis,
Quos aut Barbaries ad arma pronos,
Hoſtes legibus, inſcios quietis,
Miratur, poſito furore, honeſtis
Vitæ moribus imbui, atque legum
Felici dare colla ſervituti;
Aut quos diſſidii furentis æſtus
Vicino aut etiam ſuo cruore
Externis docuit litare regnis:
Nunc pax alma ligat, dedîtque in una
Gente atque imperio cor eſſe & unum.
Non ſunt iſta puſilla, magna certè
Regnorum bona, queis nec invidemus,
Gaudemus magis atque gratulamur;
Ingrati tamen, aut nimis ſtupentes
Eſſemus, bona noſtra neſcientes.
Nec templis minor indè debet eſſe
Cultus, quòd Superûm beavit agros
Effuſus favor; hoc beatiores
Anglos efficit omnibus Britannis;
Dum cernunt alii & bonis fruuntur
Paeis, relligionis, æquitatis,
Nos & dona videmus, & datorem.

S. Hall, Coll. Jeſu.

In reditum Augustissimi CAROLI, *re & voto veris felicissimum, Gratulatorium.*

DUm Scotiâ nimiùm felici Carolus hæsit,
Quanta animo insedit sollicitudo meo!
Ambigere: quis, uter magis hæserit, ille vel iste
Longiús: ille forís; unde nec iste domi.
Nunc hebetes, tempus qui dicunt labile, clamo;
Et capita his, ut sunt tempora, tarda queror.
Grammaticos modò corripio (crescente furore)
Qui temerè longas corripuere mõras.
Certantes recolens Neptunum & Pallada, Athenas
Hipponæ invisi nominis esse puto.
Segnes indè rotas irato pectore volvo,
Et circumfusum culpo subindè lutum;
Mox affixa pedi Vulcania pondera equino,
Et metuo Lunâ jam graviore premi.
Indè hæc: Ignavum pecus à præsepibus arce;
Non digna est stabulis ungula pigra suis.
Hinc mirè afficior caligato Cæsare, qui tam
Libratos voluit consulis esse gradus.
Sic, sic insanire, levésque effundere questus
In reditum Caroli, sic placuit furere:
Nec minùs est Carolo dulce insanire recepto,
Error nunc æquè gratus & ille mihi.
Sit quidvis, sit qui te advexit, Carole, Consul:
Vectorem quovis dignor honore tuum.

Sic lusit *Rich. Bulkley, Coll. D. Joan. Socius. Art. Mag.*

Roma

ROma coruſcantes ceſſet jactare triumphos
Conſulibus quondam quos dedit illa ſuis:
Non Conſul, ſed Cæſar adeſt. En gaudia quanta!
Tam grato reboas, Anglica terra, ſono.
Gratus Hyperboreis tuus eſt adventus ab oris:
Teſtis erit populi vocula ſola, *Vénit.*
Exultant omnes: unà cum prole tenellâ
Gaudia concepit quanta Maria tua!
Merſa fuit tenebris, te abſente, Academia noſtra:
Quidni etiam in Scotia nósque fuiſſe putes?
Te redeunte, hilares Muſæ, juvenéſque Camœnæ:
Omnibus ut placeas, Carole, ſiſte diu.

D. Hoper, Coll. Pet. Art. Mag.

VAſta Caledoniæ linquens confinia ſylvæ,
Carolus Angliacam jam pede calcat humum:
Hinc Muſis læto ſurgunt in carmina vires,
Quas fovet uberibus lactea Granta ſuis.
Qui poterunt, aras votivo ſanguine tingant,
Próque tuo reditu thurea dona ferant.
Te nos (divitibus nam non licet eſſe poëtis)
Excipimus noſtris, Carole magne, modis.
Hæc tibi devotæ ferimus libamina mentis,
Fumat & à tepido cordis acerra foco.
Rex Artaxerxes olim non reſpuit undam,
Paſtoris fuerat cùm cava palma ſcyphus;
Nè precor ergò tuæ temnas munuſcula Grantæ,
Quæ de Caſtalio fonte miniſtrat aquas.

Henr. Vintener, Coll. Regal. Socius, Art. Mag.

De Regis in Scotiam progressu, & in Angliam regressu.

PLaudunt ut illi, verticibus quorum imminent
Gelidi Triones, Tethyos qui nesciunt
Gremium subire cærulum, post tædium
Immane noctis, mensiúmque plurium
Cæcas tenebras, Sol ubi primus emicat,
Caliginémque dissipat radiis novis:
Sic gestierunt intimis præcordiis,
Sic sic ovârunt gens Scotorum, Caroli
Simulac refulsit illis regium jubar.
Quot excitavit hic Sol spiritu' languidos,
Qui torpuêre stricti Boreali gelu!
Pressos & Anglinocte se longâ nimis
Sensêre, donec abfuit Sol Carolus,
Nimísque nigrâ, nî Mariæ ceu Cynthiæ
Radii micantes Solis explêssent vicem.

Carol. Gataker, Art. Bacc. è Coll. Sid.

TU mihi *Cæsar* eris; sum *Psittacus* (en!) tibi, *Cæsar*;
Quod det *avis* tibi do, nil nisi *Cæsar Ave.*
Julius alter eris: si vis me dicere quare;
Hinc ibas *Cæsar*, *Julius* indè venis.

J. Topping, Coll. D. Joan.

QUæ sceptri gravitas, & moles quanta coronæ,
Lassant Cæsareum, pondera grata, caput!

Acce-

Accedit Sceptríque trias *, & trina Corona,
Tantùm non Carolum dicimus eſſe deum.
Scotia nomen aquas ad ſacras fecerat, ungit
Æquè oleo regem, quam fuit unda, ſacro.
O dulces reditus, Tua cura Academia clamat,
Quæque jacet viduo ſola Maria toro!
Felicem Carolum, cui juncta crepundia ſceptris!
Regale è cunis qui diadema petit!
At quàm felicem, quali conſorte beatum,
(O Dea!) cui ſceptris juncta Maria tuis!

Carolus Fotherby, Coll. Jeſ. Socius.

* Hephthemimeris.

Anagramma.

CAROLUS STEWARTIUS.
VIR LAUREATUS SCOTUS.

NOnne eſt, Carole Magne, habenda Magna
Hæc Britannia, Scotiæ corona
Nî jungatur huic? Vel hæc, vel illa
Jungetur capiti tuo, vel omnis
Jungetur, tua vel corona cœli eſt.

Thom. Playters, Equitis auratiſilius unicus, Coll. D. Joan.

Anglia & Scotia gratulantes.

VEniſſe Hæc Carolum geſtit, vidiſſe ſed Illa:
Utraque gens proprio tempore læta ſalit,
Indè Scotis, Anglis illinc gaudentibus. Omen
Quale in divino nomine τῦ * χαρόλυ!

Rich. Drake, Aul. Pemb. Socius.

* Χάρλος per χ, ut quiſit ὁ χαρὴ τῦ ὅλυ.

Ἔκλειψιν μεγάλην πάθον ἡλίου ἀνέρες Ἀγγλοί·
Λαμπρὸν γὰρ Σκοτικὴ γαῖα καθεῖλε φάος.
Ἀνδράσιν Ἀγγλιακοῖς ἀναφαίνεται ἡλίου αὐγή·
Καὶ σκότος ἐν Σκοτικοῖς μεῖζον ἔνεστιν ὄροις.

GRatamur reduci quantùm gratantur amantes,
Vel quantùm vultu tu patiêre tuo;
Quantùm præſenti tibi Scotia: Scotia fudit
Carmina, cùm Phœbi ſenſerat ora ſui.
Magna (nec invideo) veſtræ facundia linguæ,
Scotia, cùm noſtrum, quo loquerêre, caput.
Utraque jam didicit tantæ ſoror æmula lucis,
Et proprias tenebras, Car'le, tuúmque diem.

Henr. Whiſton, Coll. Regal. Socius, Art. Bacc.

CÆruleis referat tandem ſua vota Britannis,
Et populo Regem Caſſiopeia ſuum:
Non ultrà gelidi patitur divortia lecti,
Aut viduo conjux magna jacere toro.
Parvulus egregiâ non ludere ſuſtinet aulâ,
Abſentem queritur Telemachúſque patrem:
Nec minor invaſit vulgaria pectora luctus;
Factus lacrymulis Inſula quiſque ſuis:
Ut putet Angliacas qui viderit advena terras
In noſtro poſitas Orcadas eſſe ſolo.
Ergò ſuo demum luceſcat Carolus orbi;
Sic Julî menſis Solſtitialis erit.

F. Barton, C.T.

Gente

GEnte Caledoniâ prognatus Carolus arſit
Viſere, quâ primùm vivere cœpit, humum.
Vidit; &, ingenti Scotorum functus amore,
Jam redit: Invidiam noluit (Angle) tuam.
Applaudit reduci ſua Cantabrigia Regi,
Pronáque ſe ſacros projicit ante pedes.
Attulit & ſecum convivia, qualia Regem
Crediderim totâ non habuiſſe viâ.
Stat benè pro mensâ teres & quadrata papyrus,
Quæ tegitur niveo tota colore ſuo:
Fercula carminibus benè coctis plena feruntur,
Pro condimento denique mille ſales.
Dum bona noſtra Soror tibi cœnam præparat, Ecce,
Carole, quod veſtrum prandeat ingenium!
O modò digneris vultu libare benigno
Quod placeat: reliquas accipe vulgè dapes.

MUſa palpatrix, ſed & inficeta,
Cur tuas nugas redeunte jactas
Carolo? Regis via nónne plana eſt
Tu niſi cantes?
Quin cave ſpargas, bone vir, malignos
Hoſce ſermones. Ego me fatebor
Eſſe nugacem, ſed amore ductam:
Muſa ſed audi,
Rex vénit magnâ comitatus Aulâ,
Hinc & hinc fertur Sonipes furítque,
Haud queas inter violenta crura
Tuta venire.
At ſolet carmen cicurare mentes
Efferas. Quòd ſi mihi tranſeundum
Mille per mortes, tamen ibo; Regem
Nempe videbo.

Joann. Booth, Coll. C. C. Socius, Art. Mag.

IGnoſcas mihi gaudium, Scotorum
Gens antiqua, tuo quod ampliatur
Luctu: Relligio jubet, nefáſque eſt
Non geſtire piaculare. Plaudant
Pullati licet, exuántque curas;
Nos gens interea togata, tanquam
Auroræ adveniente purpuriſſo
Mutamus piceos rubris amictus,
Ceu tincti radiis Dei imminentis,
Tantæ ſive moræ rubore fuſi.
Quicquid cauſa ſit, id reapſe conſtat
Haud dudum ſegetem imbribus feracem,
Et campos pluviis inhorruiſſe:
Horrebant reliqua, uſquè ad hanc renati
Auroram imperii, emicánſque fulgur
Stellæ, quæ exoriens ſereniorem
Auram reddidit. O beatus ille
Cui cœli famulantur, & beata
Gens cui ſit famulatus idem & aſtris!

Ad Scotiam.

SI noctis (vulgò id fertur) quandoque, Caledon,
Inſcia ſis ſpatio
Hebdomadis: Facilè hoc credat cecidiſſe ſupremo
Anglia ſolſtitio,
Cùm tantis populus caluit tuus ignibus, aſtris
Qui tenebras facerent.
Nec tamen indè tuis gens invidet Angla: quotannis
Scotia ſiſque micans;
Albion hæc dum noſtra, uelut Rhodos, Inſula ſolis
Perpetui clueat.

Joſ. Alſop, C. C. Art. Bacc.

Carmen

Carmen Thriambeuticon.

O Fama, quæ priſcorum laudibus tumes
Superbo ſec'lum hoc deſpuens faſtidio,
Feneſtellas patentis recludens domûs
Tuêre lætas, exhibet quas Anglia
Triumphans, pompas, jam recepto *Carolo:*
Cave at, triumphos hoſce cùm conſpexeris
Rimosâ & arce collocâris, nè effluant
Miniſtris delati tuis ad poſteros.
Te prædicabunt ficti nunciam: ſtupor
Tenebit tantus. Apparatu ſplendido
Amictos agros cernimus, qui geſtiunt
Sinu complecti Principem: edoctos novum
Melos minurientes audimus choros
Volucrum, leni dum ſuſurrans murmure
Auletæ fundit ipſe Othryſius modos:
Sternax caballus tam charum vehens onus
Tolutari incedens tripudiat pede.
Populi obviàm euntis, & clamore plurimo
Rumpentis latera vox una eſt, *Iol vénit.*
Venis, Monarcha, cujus abſceſſu ſuas
Sedes reliquit Anglia antiquas tua
Sequens à tergo affectibus te, cordium
Tuorum magnes: Jam reverſos exteris
Ab oris noſtros animos ſepta corporum
Sentimus intrantes. Per quem reviximus
Nunc clamitemus, *VIvat, vivat Carolus.*
Te retrahente, Rex, vultûs tui jubar,
Pares Cimmeriis nos atris viſi ſumus:
Jam tandem Albionis appelletur nomine,
Reſulgens plùs Eoâ luce Scotia,
Veſtrique jubaris illuſtrata lumine.

R. Boreman, C. T. Art. Bacc. Ad

Supplicat Anglia Carolo *Regi, reditum ut maturet.*

HEsperiæ *velis* petiisti littora; terram
Intras natalem, Carole, vectus *equis:*
At mihi (nam cupidæ minima est mora longa) misellæ,
Optime Rex, *velis* rursus, *equisque* veni.

Guil. Cartwright, Coll. Mag. Generos.

GRatulor impositam tibi, Rex invicte, Coronam
Jure tuo & nullâ belligerantis ope.
Scotia læta tuos vidit sine Marte triumphos;
Progressus, reditus, Anglia læta tuos.
Hoc etiam accedit, Bene pignus Regia Consors
Auxit quod dederas: Hæc quoque læta manet.
Omnia læta vides lętus, lætemur ut omnes.
Terminet, O, festos. linea nulla dies!

Guil. de Insula, Regalis.

SEdibus emigrans solitis, comitatus inermi
Rex turbâ, simplex & diadema gerens,
(Ecce!) redit bino Carolus diademate cinctus:
Hæc ubi nuda dedit pompa; quid arma dabunt?

Ed. Waller, Armiger, Coll. Regal.

Στέμματα ζητοῦσιν πολλοί, Σκῶτοι βασιλεῦα·
Ἄξιος εἶ, βασιλεῦ, καὶ τόδε στέμμα λαβοῦν.

SCotia, tu Carolo? Carolus tibi dat diadema:
Non decus illius tu, decus ille tuum.

Joann. Winterton, è Coll. Christi.

In

In reditum Regis.

ULtima cingebat tua regna, Britannia, Tueda,
Cúmque Taum citra terminus omnis erat,
Non iter hinc longum, nec tutum invênit iturus
Quò fulget ſtellis Arctos inocciduis.
At nunc ſub Magno facta eſt Te, Carole, major,
Regem intráque Orbes accipit illa duos.
I nunc Car'le, tuos ſalvúſque redito per Orbes:
Pars eſt imperii, quod modò finis erat.

Cùm nec bella ſient, nec ſint diſcrimina regum,
Nec populi nunc, Carole, ſub te,
Unde ſonus, clamórque, virûm concurſus, & illa
Quæ accipimus ſpolia hæc nova regni?

Contendêre, ſuum, pariter duo regna, Britannus
Officio Scotúſve mereri
Majori an poſſet regem: quod vidimus omne,
Officii eſt pacíſque triumphus.
Sunt ſpolia, & pugnæ ſine ſanguine, Carole, ſub Te;
Sunt ſine damno bella, triumphus.

Thom. Cannon, Coll. Jeſ.

IMbribus obruimur, ſata læta boúmque labores,
Nî properes, pereunt: Carole, rumpe moras.
Vix calami ſufferre valent præ pondere ariſtas:
Nî properes, meſſis nulla futura tuis.
Obruimur lacrymis, tantùm non, Inſula, pontus:
Nî properes Anglos irradiare tuos.

Joann. Petter, Coll. D. Joann. Art. Mag.

De Rege terrâ mari ſervato gratulatorium.

ERgò iterum Oceano diſcrimina, *Carole?* téque
Penè *Caledoniis* merſura *Andera* ſub undis?
Nec dum tutus *Hylas?* nam non argentea tanti,
Aurea nec quæ pontus habet; levis altera, quanquam
Et gravior, jactura virûm. Dii provida ſervent
Cura caput, Dii mille animas tueantur in uno.
Nos quoque, nec vobis tantùm qui ſicca tenetis,
Sed *Neptune* tibi, ſed & his quibus æquora regnum eſt,
Solvemus quæ multa ſolent, quæ debita quiſque
Turbinis & pelagi victor ventûmque fateri,
Aut Divûm templo, aut altâ donaria quercu,
Glauco & Panopeæ & Inoo Melicertæ.

Chriſtoph. Goad, Coll. Regal. Socius, S. T. B.

CUm traherent Angli, traherent diſcrimina Scoti,
Eſſet & æqualis Mars utriuſque diu;
Miſſio ſæpe viris magno clamore petita eſt:
Pugnavêre pares, ſuccubuêre pares.
Nec tamen inventus finis diſcriminis. Iſta
Diſpungenda armis Jupiter haud patitur.
Connubio hanc palmam decreverat: aſpice, Tandem
Jupiter huic legi paruit ipſe ſuæ.
Vidimus hunc finem belli te, Carole, Rege,
Cùm duo pugnarent, victor uterque fuit.

Joann. Wroth, Coll. Jeſu, Generoſus.

Proſopopœia,

PROSOPOPOEIA, seu fictio personæ, ANGLIÆ Caroli Regis reditum exoptantis.

ASpicit obliquo gelidos Sol lumine Scotos,
Non solitos radio lucidiore frui:
Nè pereant igitur tanto splendore, precamur,
Angligenis redeas, Carole Magne, tuis.
Illis redde diem, cæca sub nocte sepultis:
Lux nulla est, dum Tu, Carole, *Phœbus* abes.
Te *Phœbe* expectat, **pompæq; oblita prioris*
Postulat ut reditu fulgeat Ipsa tuo.
Sed quid portenti est! Ortum num *Phœbus* ab *Arcto*
Ducit, & assuetas desinit ire vias?
Quid, precor, inverso num volvitur ordine cœlum?
Sydera num cursum dedidicêre suum?
Carole, (nec mirum est) cùm Tu remeabis ab *Arcto*,
Angligenis *Oriens* protinus, *Arctos* erit.

* Regiam discessu Regis vestem induit lugubrem

J. *Jackson, Aul. Clarens. Socius, Art. Mag.*

Apostrophe Anglorum ad Regem.

LInque Caledonias, aurísque fugacior, oras,
Carole; nec lentâ nos, precor, ure morâ.
Vidit ut in Crœsum districtum filius ensem,
Mutus & elinguis cœpit abinde loqui;
Τὸν Κροῖσον μὴ κτεῖνε. Tuus nunc fortè fuisset
Editus in lucem Carolus, ante diem;
Sic tamen impatiens, ætatis & immemor infans,
Ora resolvisset; *Scotia, redde Patrem.*

Rich. Mason, è Coll. Corp. Christi.

Comparatio Solis { *E Borea emergentis,*
Ad Austrum declinantis.

VAh! vetus Australem tendat citò Phœbus ad oram:
Illa fuit sponso sat viduata suo.
Nam novus Arctoâ surgit modò Phœbus ab ora,
Cujus ob Eclipsin Scotia facta σκότος.
Illius Icariis currus demersus in undis;
Conspicuus cœlis at * *Carolinus* erit.
Ille micans, Phœbus; noster radiantia mittens
Lumina, seu fundens carmina, Phœbus erit.
Hoc precor intersit, redeat licèt alter ad Arctum,
Australi maneas orbe, Monarcha, tuo;
Solstitium Australi facias in parte Britanni
Semper Zodiaci, maxime Phœbe, tui;
Ut proprio nostris modereris Marte planetis:
Sic nobis φοῖβος, φῶς eris atque βίος.
Dii faxint longo splendescas lumine; nunquam
Detur ut occasum posse videre tuum.

* Asterismus, vulgò currus Caroli.

In Emblemata insignium Anglo-Gallo-Scoticorum.

ANGLIA, quòd patrium linquas, Rex, lætus * *Edena*,
Nostra tibi & nobis hortus *Edenis* erit:
In quo (nî fallor) benedictus *Carduus*, atque
Lilia succrescunt, alba rubénsque *Rosa*.
Quare vos quatuor munite *Leunculi* Edena,
Nec posthac *Gallum* quod timeatis erit.

* Vulgò Edenburge.

Thom. Bourman, Coll. Sid.
Art. Bacc.

CA-

CAROLE parce, precor, fuerit si fortè moleſta
Rebus in exiguis Academia Mater: ab illa
Scotia non adeò viſa, atque reviſa fuiſſet,
Si non Cæſareæ ſtimulâſſet cura ſalutis.
Nulla dedit calcar mens ambitioſa Caballis,
Sola agitavit equos votorum Pertica noſtrûm,
Dum nova de incolumi nos Rege vorare ſitimus.

J. Rogers, Reginalis, Art. Mag.

EXiliat vatum violentiùs entheus ardor,
Defluat inſolitis cataractis læta poëſis:
Scilicet egelidat modò conglaciata cerebra
Carolus, & rediit jam mentis priſtina virtus,
Tam propè Muſarum ſacras quòd tranſeat ædes.
Algida quamprimum tepuiſſet Scotia Regis
Adventu grato, liquefacta in carmina tota
Ingens confeſtim ſatis eſt enixa volumen.
Sit pudor Angligenis effundere parciùs undas
Caſtalias, ſurgat vehementer noſtra Camœna,
Lætitiæ ſpecimen nos altius exhibeamus:
Scire modum ſit penè nefas, cùm gaudia ſacra
Relligio poſcat. Qui mœſtus, proditor eſto.
Depoſitum tellus Aquilonica grande remiſit:
Unicus (en!) rediit theſaurus Carolus Anglis,
Non minùs optatus, quàm cùm fuit hoſpes in oris
Heſperiis ipſis obſeſſus ubique peric'lis.
Jam, licèt Heroum dènsâ comitante catervâ,
Nulla fuit noſtri, ſi non mora, cauſa timoris.

Sam. Rogers, Coll. Regin. Socius, Art. Bacc.

NOn magè partis ovat divinæ carcer amatus,
Cùm rediens fugitiva petit loca priſtina formæ
Facta ſibi, & membris, à queis diſceſſerat intrà
Longo deliquio, reddit vitam atque calorem,
Quàm populi (Rex Magne) tui jam corde triumphant
Ad reditûs famam rediviva cadavera lætam.
Cùm tua nos Anglos præſentia liquerat, ipſum
Solvitur in lacrymas cœlum, gemmáſque cadentes
Dejicit in gremium telluris; ut indè coronæ
Naſcentes Caroli redeuntis tempora cingant.
Dum remeas, rident cœleſtia numina, nubes
Siccatæ lacrymas; ſumunt ſibi coccina, Solem
Exceptura ſuum: rident vernantia prata;
Nec fremebunda boant reſonantia murmura venti,
Sed tantùm roſeis impingunt oſcula labris.
At ſi fortè alibi cœli de ſanguine guttæ
Stillant; ut multi, nimiâ dulcedine preſſi
Fortunæ ſubitæ, lacrymis teſtantur obortis
Gaudia non ſperata ſuis: ſic nubila mittunt,
Obruta lætitiæ violento flumine, guttas.
Nec minùs exultat quiſquis tenet incola terram
Hanc, virtute tuâ cœleſti pace fruentem:
Aſt oculis fixis in lucida ſydera, flexis
Submiſsè genubus, ſpectantibus æthera palmis,
Lætanti linguâ reditum gratantur ad unum
Omnes, Rex Auguſte, tuum. Nos candida proles
Almæ nunc *Matris* ſertis circundamus aras,
Te fauſtè reducem celebrantes carmine feſto.

Marc. Franck, Aul. Pembr. Art. Bacc.

In

In aquas circa discessum Regis in Scotiam solito magis intumentes.

SI non est grave, nec nimis molestum,
Nymphæ, dicite, quæ beatiores
Lymphas incolitis, sacráque vestro
Undas efficitis beante vultu;
Sacræ dicite, quid minax aquarum
Fastu turba ruit superbiore,
Et, ripas superans, procul remotos
Agros polluit influente mole,
Cùm Rex Carolus, auspicatus, oras,
Felix, in Scoticas, iter peregit.
Num cœli nova virtus, aut potestas
Lunæ, corpora quâ reguntur ista,
Vos fecit solito tumentiores?
An, quòd Rex proprias reliquit oras,
Vobis linquere erat necesse vestras?
Quid si Sol, quoties recumbit ardens,
Post iter, gremio Deæ marinæ,
Fessos tingere non gravatur artus?
Sol noster radiis remotiores
Partes attigit orbis, integérque
Sentit tædia nulla, nec tenebras,
Nec curat refici fovente lymphâ:
Non hoc est iter, at triumphus illi.
Proin ambitiosa turba aquarum
Gaudens exilit hospitem videre;
Nec ripâ patitur premi arctiori
Tantum lætitiæque, gaudiique:
Non certè infremuit, remotioris
Te confinia visitante regni;

Non

Non eſt auſa ſcelus patrare tantum:
Triton cæruleus celebriorem
Effecit celeri tubâ triumphum.
Cùm rex noſter abit, licet minari
Undis; ſed reditum nefas morari.

Georg. Barry, Coll. Trin. Socius.

Ad Scotiam.

——Radios
Quid mutuatos detines, Scotia? jubar
Redde tibi creditum. En! ut oculos purpura
Perſtringit imbelles! remota Caroli
Divinitatem plaga veneratur: ſed parum eſt,
Minúſque tiarâ. Pubes influentiæ
Vim regiæ neſcit Aquilonia: inſidet
Jam quis calor mucronibus! Sic eſt. Pias
Accendit animas contumelia: ſcelus eſt
Dimittere infenſas, nec audeo. Colit
Gens ſanctiùs diadema; venas ditior
Fidelitatis rivus irrigat, jubét-
--Que ſanguinem parêre: majus Cæſaris
Docemur imponere pretium virtutibus,
Et ſuſpicere comitia; aliæ quàm atq; hinc hab
Gentes ſibi exemplaria! Hic calumniis
Non candor opprimitur Cleri; nulla petitur
Pretioſa cervix victima furori; nec eſt
Crimen, Potentem eſſe: hîc monetæ ſanguinen
Litat crumena liberalem Carolo
Populi ſaginata.

Ed. Kemp, Coll. Regin. Socius, Art. Mag.

Regi

Regi CAROLO *utra ſedes fixa, judicium.*

TE dum *Scotus* habet, Rex optime, flagitat *Anglus:*
Dum fruitur *Anglus*, corda *Scotorum* gemunt.
Rex utriuſque, æquè Regno redamatus utrique,
Placere utrique ſede de tua nequis.
Ad nos, *Anglus* ait, Soli ad propiora redito.
Scotúſq; retinens, Natus in noſtro es: Mane.
Quid facias dicat prudentia dîa Jacobi.
Aperta res eſt. Dixit exemplo Pater.
Quæ duo regna priùs, per me conflantur in unum.
Abeſſe nuſquam eſt: Una fit *Britannia.*
Hoſpitium ad *Boream*; domus eſto ac nidus ad *Auſtrum:*
Sereniorem repete jam Regni plagam.
Carole nate redi: Quadrigis impiger albis,
Vel potiùs alis *Pegaſi* pernix redi.
En! Redit. En! Rediit, Revolavit tempore puncto:
Populum beavit, ac gementem conjugem.
Hic genubus flexis, plaudentibus excipit ulnis:
Illa ſed amoris oſculo, & caſto ſinu.
Hic rogat; illa tenet, nè quà diſcedere tentet:
Oculis uterque gaudio ſtillantibus.

Thom. Goad, S. Theol. Doctor, Regal.

Ad Regem.

QUàm tuus aſpectus dulcis, quàm in carmina pronæ
Mentes ſint noſtræ, Carole, conjicias.
Vix tetigere tuum caput exanthemata dudum:
Hæ nobis maculæ peſtis ad inſtar erant.

Dum natale ſolum repetis patriámque coronam,
Scotus Iberus erat, menſis & annus erat.
Quem modò dat reditum currus ſonipéſve citatus,
Non minùs eſt gratus, quàm prior ille fuit.

D. Chaundler, Coll. Regin. Socius, Procuratorum alter.

In reditum Caroli *Regis Carmen Gratulatorium.*

VEnit ab Arctois ſalvus regionibus heros
Carolus, invicti regni invictiſſimus hæres.
Exultant montes, choreas depreſſa frequentat
Vallis, & innumero rivi jam piſce laborant.
Flumina nunc rident, nunc gaudent celſáque & ima,
Quà maris Angliaco clauduntur littora ponto.
Nunc etiam ſterilis primò lęta arva coronat
Immenſíſque Ceres ditavit fœtibus annum.
Quíque recedentem vidit te nubilus imbre
Sol, adventantem exporrectâ fronte ſalutat.
Quódque unum valet, effundit tibi Muſa Camœnas,
Muſa patris Chami quæ juxta eſt incola ripas.
Túque ô nunc Regina tuum lugentis amictum
Depone, & vultus habitúſque aſſume priores:
Vênit ab Arctois ſalvus regionibus heros
Carolus, & fidei & ſinceri exemplar amoris.

H. Mowtlow, Regal. Doctor in Jure Civili.

COnditur ânne alius murus? nova conditur *Oſſa*
Atque in perpetuo ſervat te Scotia clauſtro?
Nec remeas? Retinet te dulcis patria; cunæ
Spectandę paulùm queis olim vagiit infans

Maje-

Majeſtas, ejus ſimilis qui contudit Hydram,
Cùm puer ardentes dextrâ comprenderit angues,
Concuſſítque omnem cunis trepidantibus orbem:
Verùm te retinent graviora, Corona, vocandus
Conventus Regni, populi, procerúmq; Senatus.
O qualis conventus erat! Pudet, Anglia, quantis
Dicere conſenſêre animis, quantíſque ſecuti
Sunt Regem votis. Populus nè deſerat urget,
Contrectátque rudis dextram: clamoribus orat
Vitam, quam rapiens rupes vicina, jocoſâ
(Felix auſpicium) duplicavit imagine vocem.
Vix rediturus erat niſi quòd fœcunda vocaret
Prole novâ conjux, & vos duo pignora Regni,
Alma Maria ſoror, tu frater Carole, major,
Tu qui deſerti ſola es cuſtodia Regni.
Jam redit: Ecce! cavo ſonuerunt murmure currus,
Lora crepant, implétque auriga fragoribus auras,
Quadrupedúmque gravis ſiccum quatit ungula campum,
Circum pulvis agit, ſpiſſóque volumine nubem
Efficit: aſſiduo mox motu fervidus ignes
Concipit axis; equi ſummas rapiuntur in auras
Inque ignes abeunt, alto micat æthere currus
Et totum illuſtrat flammis radiantibus orbem.
Haud ego ficta loquor: Tua flammea (Carole) plauſtra
Inſidens volucri vidit mea Muſa caballo,
Vidit & in medium Thamiſin cecidiſſe jugales:
Illic vive diu labente perennior undâ.

J. *Pullen, Coll. Magdal. Socius, Art. Mag.*

QUos plauſus video Britanniarum
Crebros auribus imbibiſſe noſtris!

Quæ vox ejaculationibúſque
Attollit quaſi nauticum celeuſma!
Fallor; gutture vel ſonat patenti,
Vivat Carolus, una multitudo:
Tantum Carolus admovebat œſtrum.
Si tu, Carole, (Dii vetant) periſſes,
Libitina ferox quot in feretrum
Unum compulerat, virûm ſepulchro.
Cùm tot Myriades tuo jacerent;
Efferríque tuo tot Optimates
Solo funere cernerent Britanni.
Quin parcas precor, ô Monarcha, de te
Si plùs ſolliciti nimis videmur:
Nobis non poterit fat eſſe charus,
Pro quo vile quidem mori putamus.
Vín', Rex, ſcire tuos ut apprecata
Vultus Anglia? Semiuſtulata
Imbres ut pluvii Jovis liquentes
Arva; ut fluctiſonis phaſelus undis
Portum; ut ver Zephyros, diéſque Phœbum.
Non ſic Æſoniden relicta Colchis;
Non ſic Hermione lubens Oreſten;
Non ſic Aſtyanacta geſtiebat
Abſentem Andromache videre mater;
Ut te poſt aliquot dies Britanni,
Invictiſſime Cæſar. O perennè
Frui ſi liceat, beate Princeps!
Tum nec perpetuis licèt fatiſcat,
Te ſalvo, chelys increpata plectris,
Nec ponet citharæ ſciens *Apollo*
Iratúſque meis modum Camœnis.

Rob. Newman, Coll. Regal. Socius. Art. Bacc.

Triſtis

TRistis umbrosâ cypariſſus Idâ
Ut tremit ſi quis magè concitatus
Africus ſævit, ruit aut remotis
Eurus ab Indis:

Tota nutavit ſubitò Anglicana
Gens, ut Albanos Carolus petebat,
Sic, & Anglorum tremor occupavit
Frigidus artus.

Nè quis infauſtum memorare Malum
Audeat menſem Caroli exeuntis,
Exulet faſtis ut inauſpicati
Ominis autor.

At quid incautus precor? Exulabit
Ille naſcenti Carolo dicatus
Menſis? O gratâ redeat Britannis
Mente tenendus!

Marmori inſculptus ſit & hic perenni
Julius menſis, patriæ parentem
Carolum multâ prece qui petitum
Reddidit Anglis.

Theſſalus quandò rediit Mycænis
Dux, ut auratæ pecudis Draconi
Suſtulit vellus bene ſomnianti,
Græcia plauſit:

Scoticâ cinctus rediit coronâ
Carolus, Lætas agitet choréas
Dulce Muſarum decus, & det altum
Anglia plauſum.

Rich. Watſon, Caio-Gonv. Art. Bacc.

Ad Sereniſſimum Regem Carolum.

Carole, Progrederis? Lege Diſtichon ordine recto.

ANGLIÆ Δυσθυμία in exitu Regis.

DEficio, bone Rex, animo: Non gaudia regno,
CAROLE, nunc præſtas Tu tua ſollicito.

Carole, Regrederis? Cancros imitare legendo.

ANGLIÆ Εὐθυμία in redita Regis.

SOllicito tua Tu præſtas nunc, CAROLE, regno
Gaudia: Non animo, Rex bone, deficio.

DISTICH. CHRONOGRAMM.

MDCXXXIII.

SCOTORUM primo in occurſu Regis Εὐφημία.

HACtenVs angLorVM nVLLI ConCeſſa Corona,
Eſt tIbI: sIt soLI, poſtgenItIsqVe tVIs.

Ad Regem apud Scotos diutiùs commorantem, Ἐχετλιαστικόν.

DEſeruit *Cancrum* Phœbus, petiítque *Leonem*,
Et viſenda brevi proxima *Virgo* manet.
Sunt tibi, ſunt Angli fidiſſima corda, *Leones*,
Carolidæque ſoror *Virgo*, Maria minor:
Carolideſque puer gravidâ cum matre Mariâ.
Et retinet Tropicos, CAROLE, *Cancer* equos?

Ad quadrigas CAROLI, Ὀρθοστάδιον.

CUrrite quadrigæ nunc fulminis ocyùs alis,
Currite: ſi fas eſt, vincite Solis equos.
Omnia tuta: Gradus nunc ô glomerate ſuperbos;
In medio curru CAROLUS ipſe ſedet.

* *Io triumphe! Carolus vénit meus.*

* SCOTIA insultans de suus adventu Regi.

ANgligenis dolor, haud risus nunc: tempora fletûs
Tristia, non adsunt nunc bona lætitiæ.

* *Io triumphe! Carolus redit meus.*

* ANGLIA triumphans de suus reditu Regis.

LÆtitiæ bona nunc adsunt, non tristia fletûs
Tempora: nunc risûs, haud dolor Angligenis.

R. Winterton, Coll. Regal. Socius, Med. Licent.

Ad Academiam,

De persolutis Deo Opt. Max. Perductori, Sospitatori, Reductori Propter viis, pro incolumitate Trismegi. Ji Monarchæ Regis CAROLI, Reducis facti è Scotia sua post Sospitium, & Tropicum Cancri.

PRoducto cur sole breves Academia soles
Visa es queri, inversúmque Calendarium,
Cum Sancta Sanctum mutari, mensémque mensem,
Junium Decembre, Luciâque Barnabam?
Unde erat? Ex alio tibi lux Academica cœlo
Oriunda, sole mensuratur altero.
Et spes & ratio studiorum in Cæsare tantùm: Verba è Juvenali.
Mensura lucis, sonsque Carolus tuæ.
Carolus ex Austro jam declinabat ad Arctos?
(Septem Triones interim beans suos?)
Subducto surgunt tibi sole crepuscula, cæci
Videntur ire, & exili cum lumine
Sexaginta dies, sexcentis (Carolus adsit,)
Molestiores alteris brumalibus.
Carolus indè redit? Redit & tibi lux, & amœni
Dies, suetâ claritate fulgidi.
Et Tropicum in Tropico nacta es jam, non abeuntis
Lucis retró, sed augescentis indies.

Ergò

Ergo agé, Solstitium hoc fausto per secula versu
Par est celebres, intimesque posteris.
Sic, ô sic, fusis per compita sacra choreis,
Decet Satorem lucis excipi tuæ.
Sic decet, indictis per compita cuncta triumphis,
Ut sacra solvantur reduce pro Cæsare.
Sic Diadema novum, pia jura, mutatique victis
Spolia omnium de cordibus Itu novo,
Cæteráque egregiè quæ Cæsar præstitit illic,
Æternitati, [illegible] decet.
Perge (Parens [illegible] futurum
Profectionis hujus [illegible]
His ego (nè non interim, cum tardius adsim,)
Succlamo nil, nisi Hæc ego videns stupeo adhuc.

Wren, è S. Petri.

Serenissimo Regi *CAROLO* Reduci Alma Mater Academia *Musas suas sibi redditas, publici gaudii & debitæ observantiæ testes, supplex D.D.D.Q.*

SCotico nam placuit: Nè dedignere Coronam
Sumere quam *Mater* [illegible] Tibi,
Illa (nec invideo) gemmisque [illegible] superba
Nos humiles Musæ laurea sorta damus.
Te memorent alii *Phœbum*, Reducémque [illegible]
Carole, Tu Musis dextor *Apollo* [illegible]
Chamiades Musæ, siqua est in carmina [illegible]
Debemus soli, Carole [illegible]
Gratamur Reduci Regi, Vo[illegible]
Nam Tua, nostra salus, Carole [illegible] Vale.

R. Winterton, Regalis.

FINIS.